M. BICHON VAN YSSELMONDE,

SPECIMEN HISTORICUM JURIS ROMANI

SIVE

COMMENTATIO AD GAJI COMM. IV. LOCUM

DE

LEGIS ACTIONIBUS.

SPECIMEN HISTORICUM JURIS ROMANI

SIVE

COMMENTATIO AD GAJI COMM. IV. LOCUM

DE

LEGIS ACTIONIBUS.

SPECIMEN HISTORICUM JURIS ROMANI

SIVE

COMMENTATIO AD GAJI COMMENTARII IV. LOCUM

DE

LEGIS ACTIONIBUS,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

MARINUS BICHON VAN YSSELMONDE,

ROTERODAMENSIS.

DIE IV m. MARTII a. MDCCCXL, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,

EX OFFICINA JOH. ALTHEER,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

VIRO AMPLISSIMO, GRAVISSIMO

MARINO CORNELIO BICHON VAN YSSELMONDE,

JUR. UTR. DOCT.,

TOPARCHAE IN YSSELMONDE, ORDINIS LEONIS BELGICI EQUITI, ORDINIBUS PROVINCIAE HOLLANDIAE ADSCRIPTO, CIVITATIS ROTERODAMENSIS CONSULI, CET.

PATRI OPTIMO, CARISSIMO;

ET

VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO

JOANNI ADRIANO MARINO BICHON VAN YSSELMONDE,

JUR. UTR. DOCT.,

IN TRIBUNALI, QUOD ROTERODAMI EST, JUDICI VICARIO, CAUSARUM PATRONO, CET.

FRATRI CONJUNCTISSIMO, DILECTISSIMO,

HOCCE

HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM

IN PUBLICUM PIETATIS TESTIMONIUM

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PATRI OPTIMO.

Accipe benevole, quam Tibi pie offero, CARISSIME PATER! *hancce qualemcunque Dissertatiunculam. Sunt hae primitiae studiorum, in quae, per quinque fere annos, Te auctore, in Academia Trajectina incubuerim.*

Exactum hactenus vitae spatium respicienti nihil profecto dulcius mihi, nihil gratius, nihil sanctius est, quam Tua in me collata beneficia grato animo repetendi officium. Tu enim optimus

mihi a tenera inde pueritia exstitisti vitae dux et magister, Tu praeceptis, monitis, et vero Tuo Ipsius exemplo virtutis viam mihi nunquam non indicasti, Tu omnia omnino impendisti, ut aliquando patriae utilis evadere possem. Ut autem Tu animum meum literarum disciplinarumque liberalium amore imbuere conatus es ab eo tempore, quo in Gymnasio, quod ab Erasmo nomen habet, humanioribus studiis operam dare

coeperam, ita Tuas indefessas curas vel maxime per illud spatium expertus sum, per quod hac in Academia in jurisprudentium incumbere mihi licuit.

Pro tot igitur tantisque beneficiis grati filii debitas accipias gratias. Quidquid mihi in futurum utilitatis, honoris, jucunditatis in vita sit, hoc Tibi me debere lubens et ex animo profiteor. Illud Tibi persuasum habeas velim me-

ritorum in me Tuorum memoriam nunquam oblivione deletum iri, illudque mihi fore gratissimum et maxime exoptandum, si Optimo Patre filius aliquando inveniar non omnino indignus!

Scripsi Trajecti ad Rhenum
m. *Febr.* A. MDCCCXL.

COMMENTATIONIS CONSPECTUS.

SECTIO I.

DE LEGIS ACTIONUM SIGNIFICATIONE, NATURA, FONTIBUS ET GENERIBUS.

SECTIO II.

DE LEGIS ACTIONE SACRAMENTO.

SECTIO III.

DE LEGIS ACTIONE PER JUDICIS POSTULATIONEM ET PER CONDICTIONEM.

SECTIO IV.

DE LEGIS ACTIONE PER MANUS INJECTIONEM, ET PER PIGNORIS CAPIONEM.

SECTIO V.

DE LEGIS ACTIONUM FATIS POSTERIORIBUS ATQUE INTERITU.

» Plurima est, et in omni jure civili, et in pontificum libris, et in XII Tabulis, antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur, et actionum genera quaedam majorum consuetudinem vitamque declarant."

CICERO.

COMMENTATIO

AD

GAJI COMMENTARII IV. LOCUM

DE

LEGIS ACTIONIBUS.

SECTIO I.

DE LEGIS ACTIONUM SIGNIFICATIONE, NATURA, FONTIBUS ET GENERIBUS.

(*Gaj.* IV. §. 11-12).

§. 1. *De legis actionum significatione et natura universe.*

De *Legis actionibus*, ut speciminis nostri titulus significat, *Gajo* duce, disputaturis, ante omnia nobis earum notio, natura, fontes indagandi videntur. Et prius est, ut dicamus, quid sit *legis actio.* In quacunque enim re exponenda incipiendum videtur a disquisitione, quid tandem sit illud, de quo acturi sumus.

Quid essent legis actiones, ante *Gaji* Institutiones sinceras repertas, recte definire Interpretes non potuerunt. Sane neminem fugit, quam laetus nostra aetate supervenerit in antiquitate perscrutanda fontium praestantissimorum, qui antiquiores Interpretes plane latuerant, proventus, e quo jam unus *Gajus* tot nobis reclusit juris veteris thesauros, quot vix caetera, quae superioribus quoque aevis patuerunt, monimenta capere videntur (1). Per insignem igitur saeculi nostri felicitatem nobis nunc ad puriorem fontem adire licet, e quo pleniorem cognitionem multarum rerum haurire possimus, quarum antiquiores Interpretes vel prorsus nullam vel non nisi vagam et obscuram habuerunt notitiam. Quod cum universe de permultis veteris juris Romani locis verum est, tum vel maxime in hac nostra disquisitione circa vetustissimam Romanorum litigandi rationem manifesto apparet. Nam cum olim scriptores fere ignorarent, quid de legis actionibus existimandum esset, nunc, repertis *Gaji* Institutionibus, in Commentario IV. locum habemus, ex

(1) Vid. E. Schrader. *Was gewinnt die Röm. Rechtsgeschichte durch Cajus Institutionen?* Heidelb. 1823.

parte quidem mutilum et corruptum, verumtamen multa exhibentem, quae legis actionum cognitioni non parum luminis affundunt (1).

Ut igitur intelligamus, quid sit legis actio, continuo ad Jurisconsultum nostrum confugiamus. »Actiones," inquit, »quas in usu veteres habue»runt, legis actiones appellabantur, vel ideo quod »legibus proditae erant, quippe tunc edicta Prae»toris, quibus complures actiones introductae sunt, »nondum in usu habebantur, vel ideo, quia ipsa»rum legum verbis accommodatae erant, et ideo »immutabiles proinde atque leges observantur: unde »eum, qui de vitibus succisis ita egisset, ut in »actione vites nominaret, responsum (eum) rem »perdidisse est, quia debuisset arbores nominare »eo, quod lex XII tabularum, ex qua de vitibus »succisis actio competeret, generaliter de arboribus »succisis loqueretur." (IV. 11.)

Addamus §. 29. in f: »— pignoris captio extra »jus peragebatur, id est, non aput praetorem, »plerumque etiam absente adversario, cum alioquin

(1) Vid. Schrader. Op. I. p. 4.

» ceteris actionibus non aliter uti possit, quam aput
» Praetorem, praesente adversario; praeterea ne-
» fasto quoque die, id est, quo non licebat lege
» agere, pignus capi poterat."

Ex hisce *Gaji* verbis nunc edocti sumus, legis actiones intelligendas esse antiquissimos Romanorum juris persequendi tuendique modos. Agere enim, ut novimus, in jure Civili is dicitur, qui jus suum persequitur, estque igitur actio juris cujusque persecutio (1). Legis autem actiones appellabantur, quia legibus proditae et secundum ipsarum legum verba conformatae erant (2). Vetustissimis enim temporibus non, ut postea, Edicto Praetoris introducebantur actiones, sed ex legibus emanabant. Magna erat veterum in illis legis actionibus religiose observandis superstitio, cujus rei exemplum *Gajum* attulisse vidimus (3). Nullo modo a forma legis re-

(1) Cf. l. 37. D. de oblig. et act. cum l. 28 et 51 D. eod.

(2) Cf. Cl. Heffter. ad Gaj. IV. 11: in sua Gaji Instit. Commentarii quarti editione. Berol. 1827. p. V.

(3) Cf. *Cic.* de Orat. I. 37. Vatic. Fragm. §. 318. » Ulp.
» lib. VIII. ad edictum. Non tamen sic putat certis verbis
» cognitorem dari debere, ut si quid fuisset adjectum vel
» detractum, non valeat datio, ut in legis actionibus."

cedi poterat: si verba non erant legitima, rem perderet actor necesse erat. Tantaque fuit subtilitas veterum, ut vel qui minimum errasset, litem perderet (1). Ritus scilicet et formulae sive verba, quibus lege agentibus utendum erat, certa erant et solennia, (id est; quibus uti solent homines) cum Romani et in sacris, et in re militari, in foederibus faciundis, in concionibus habendis, in judiciis, in omni omnino civili publicove negotio vel officio perpetuis uterentur formulis, sine quibus nihil peragi posse censeretur. Porro litigabant homines coram Magistratu, praesente adversario, nec nisi diebus fastis, qui dicebantur. Die enim nefasto lege agere non licebat. Hinc inter ipsos veteres dubitatio orta est, num actio per pignoris capionem recte dicenda esset legis actio, quia pignoris capio extra jus, id est non apud Magistratum, plerumque etiam absente adversario, praeterea nefasto quoque die peragebatur. Sed hac de re infra commodior erit dicendi locus.

E recentioribus Interpretibus, ut de antiquiori-

(1) Gaj. IV. 30.

bus taceamus, Dupontius (1), *Gajo* facem praeferente, legis actiones esse dicit: »formas solennes »agendi in jure, legibus Romanorum antiquissimis »proditas, certisque verbis celebrandas coram Ma-»gistratu ab iis, qui ex lege aliqua jus suum per-»sequuntur." Van Hasselt (2) duplicem distinguit τοῦ *lege agere* significationem, alteram latiorem, alteram strictiorem. »Jurisconsultis enim," ait, »*a.* lege agere dicitur, qui agit modo proce-»dendi (si ita loqui fas est) in causa privata (3) »litigantibus lege veteriori praescripto; et hic mo-»dus procedendi dicitur *legis actio*, aut etiam »simpliciter *actio*." »*b.* lege agere ipsis dicitur, »qui in causa privata, *praesente adversario*, agit, »modo *in jure* procedendi litigantibus lege vete-»riori praescripto; et hic modus agendi etiam di-»citur *legis actio*, aut simpliciter *actio:* quod »verbum in hisce igitur non de notat *jus*, sed

(1) Disquisitiones in Comm. IV. Instit. Gaji. In Annalibus Acad. Leod. A°. 1820 - 1821. p. 4.

(2) Specimen jurid. inaug. de Legis Actionibus. Gron. 1824. p. 3. sq.

(3) Non tantum in causis privatis, sed etiam in publici judicii causa lege actum fuisse sacramento, infra videbimus.

» *modum agendi.* Strictiori hac significatione lege » non agitur, aut legis actio non adest, ubi quis » absente adversario agit, ubi non in jure agit. » Strictiori hac significatione proinde nefasto die » lege agi non potest, quia nefasto die juri dicundo » non vacat Praetor. Latiori illa significatione ve- » ro, et absente adversario, et extra jus, proinde » et nefasto die, lege agere quis dici utique potest." Cl. Hugo (1) legis actionem habet: » *das Rechts.* » *Mittel, mit oder ohne Mitwirkung der Obrig-* » *keit, es liesze sich auch sagen, geradezu durch* » *sie oder nur in entfernter Beziehung auf sie, —* » *auf diese Art eine Veränderung zu bewirken,* » *zu machen, dasz man zu seinem Rechte gelange.*" Cl. Zimmern (2): *Die ältesten Formen,*" inquit, » *gerichtlicher Geltendmachung seiner rechtlichen* » *Ansprüche, der* actiones *i. d. s. d. W. hatten* » *den technischen Namen* legis actiones, *wie uns* » *jetzt Gajus berichtet. — Der Schilderung im*

---

(1) *Lehrbuch der Geschichte des Röm. Rechts.* Ed. II, Berlin 1832. p. 308.

(2) *Geschichte des Römischen Privatrechts.* T. III. Heidelb. 1829. p. 85.

» *Einzelnen zufolge wird aber dadurch nur das* » *beyderseitige symbolische Handeln und formelle* » *Reden bezeichnet* (*das* agere *und* dicere, *also* » *die* actiones *und* aitiones, *wenn man will*), » *durch welches der Rechtsstreit vor der Obrig-* » *keit eingeleitet wird. Eine nur abgeleitete Be-* » *deutung von* legis actio *ist es, welche die Fähig-* » *keit des Magistrats bezeichnet, ein Rechtsge-* » *schäft vor sich vornehmen zu lassen, nämlich* » *ein solches, welches wirklich auf* legis actio *be-* » *ruht, und es wird also damit nur die Compe-* » *tenz des Magistrats, eine wirkliche und folglich* » *auch fingirte* legis actio *unter seiner Mitwirkung* » *vorgehen zu lassen, bezeichnet*" (1).

Atque haec quidem de legis actionum significatione a recentioribus scriptoribus praecipue dicta sunt. Earum natura et character, cum singulas examinaverimus, infra melius cognoscetur et perspicietur. Hoc tamen loco universe admonendi sumus, in antiquissima Romanorum litigandi ratione cum severitatem, vitaeque militaris vim, tum vero

(1) Cf. infra §. 3. in f. Zimmern, l. l. p. 86.

simplicitatem maxime esse conspicuam. Nec sane hoc cuiquam mirum videri potest. Ut enim in cujusvis populi infantia inculta esse solent vitae civilis instituta, sic apud priscos Quirites rudis et simplex admodum erat rerum publicarum et privatarum conditio, unde satis naturale est, plurima in jure civili et criminum vindicta deprehendi, quae Romanos, ut par est in gente nondum exculta, prope a barbarie afuisse declarent. Prisca autem illa populi simplicitas in modo litigandi praesertim conspicitur. Sic, exempli gratia, ipsa res, de qua controversia esset, veluti bos, ovis, in jus afferri debebat, ut postea videbimus. Accedit vero, quod res militaris Romanis inde a civitatis primordiis tantopere placeret, ut cives se totos ei traderent, omniaque fere civilia instituta intimam cum ea haberent conjunctionem. Fieri igitur aliter non potuit, quin hujus rei militaris studii vis praecipue in juris persequendi modis cerneretur maxima. Hoc est, quod Cicero innuere videtur, cum dicat: »Plurima est, et in omni jure civili, et in ponti- »ficum libris, et in XII Tabulis, antiquitatis effi- »gies, quod et verborum prisca vetustas cognosci-

» tur, et actionum genera quaedam majorum con-
» suetudinem vitamque declarant" (1). Praeterea notemus apud gentes incultiores plerasque res nonnisi adhibitis cerimoniis solennibusque celebrari solere, quae tamen ambages, cultioribus moribus, sensim evanescunt, uti luculentissime Romanorum exemplo doceri potest, et infra fusius explicabitur.

Restat ut moneamus, legis actiones etiam appellatas esse *legitimas actiones* (2), non tamen confundendas cum *actibus legitimis*, quorum mentio fit a *Papiniano* in l. 77. D. de Reg. juris, quos eosdem esse ac legis actiones plerique Interpretes antiquiores falso crediderunt. *Actum legitimum*, id dicere possumus, quod ex lege aliqua populi Romani aut secundum legem agitur (3). Et non nisi ea negotia sic appellabantur, quae juris civilis sunt. Sic mancipatio, cretio, acceptilatio sunt actus legitimi. Neque diem vel conditionem recipiunt,

(1) De Orat. I. 43. Cf. Dupont. l. l. p. 5.

(2) Vid. *Pomp.* l. 2. §. 6. D. de Or. Jur. *Festus.* v. possessio. *Gell.* N. A. XX. 10. in f.

(3) Vid. van Hasselt. l. l. p. 5. Cf. l. 19. D. de Verb. Sign.

neque per extraneum fieri possunt. Sed de his non est hic plura dicendi locus (1).

§. 2. *De legis actionum fontibus. — Jus Flavianum. Jus Aelianum.*

Legis actionum originem his verbis memoravit *Pomponius*, cujus fragmentum historiae juris externae, quae vocatur, habemus in l. 2. D. de Orig. juris: »Deinde ex his legibus, (scilicet XII Tabularum), »eodem tempore fere, actiones compo»sitae sunt, quibus inter se homines disceptarent: »quas actiones, ne populus, prout vellet, institu»eret, certas solennesque esse voluerunt: et appel»latur haec pars Juris *legis actiones*, id est, *le»gitimae actiones*. Et ita eodem pene tempore »tria haec jura nata sunt: Leges duodecim Tabu»larum: ex his fluere coepit jus civile: ex iisdem »legis actiones compositae sunt. Omnium tamen

(1) Vid. inprimis Dirksen. *Beiträge zur Kunde des Röm. Rechts.* Leipzig 1825. p. 221. sqq. Zimmern. Op. l. T. I. p. 417. Hugo. Op. l. p. 310. n. 4. Schilling. *Bemerkungen über Röm. Rechtsgeschichte.* Leipz. 1829. p. 87. Schweppe. *Röm. Rechtsgesch.* §. 249.

» harum et interpretandi scientia, et actiones, apud » collegium Pontificum erant: ex quibus constitue» batur, quis quoquo anno praeesset privatis et fere » populus annis prope centum hac consuetudine » usus est" (1). Ex hisce JCti verbis docemur non ita diu post latas leges Decemvirales compositas et introductas esse certas solennesque verborum conceptiones, quibus populus in litigando uteretur. Quae et ipsae legis actiones sunt appellatae (2). Erant hae actiones apud collegium Pontificum. Hi enim apud veteres Romanos universae omnium divinarum atque humanarum rerum disciplinae quasi depositarii erant, penes quos solos formularum aliorumque solennium scientia atque interpretatio fuit. Itaque Patriciis duntaxat, non etiam plebi patebat: eratque juris scientia mysterium et quasi privilegium Patriciorum (3).

---

(1) l. 2. §. 6. D. de Or. juris.

(2) Cf. Höpfner. *Commentar zu den Heinecc. Inst. Dritter Anhang.* p. 848. Van Hasselt. l. l. p. 134. et Dissertatio nuperrime edita sub titulo: *Ueber die Legis Actiones und das Centumviralgericht der Römer. Ein Beitrag zur Rechtsgeschichte, von einem Praktiker.* Zwickau 1839. p. 25. 28.

(3) Vid. *Dion. Halicarn.* X. init. Hugo. *Rechtsgesch.* p. 110.

Si quaeritur de fontibus, ex quibus legis actiones emanaverint, respondendum est, inprimis huc pertinere legem duodecim Tabularum (1). Prodierunt enim ex ea legis actiones *sacramenti*, *per judicis postulationem*, *per manus injectionem*, *per pignoris capionem*, ut infra fusius indicabimus. Deinde ex aliis legibus cum aliae accesserunt legis actiones, veluti *per condictionem*, tum antiquiores illae varias subierunt mutationes, de quibus postea singulatim sermo erit. Haec satis in limine.

Ab hoc tamen loco non alienum videbitur paucis exponere, quid ab antiquis de evulgatis legis actionibus memoriae traditum sit.

Saeculo ab U. C. quinto fere medio *Cnaeus* quidam *Flavius*, patre libertino ortus, legis actiones vel (sive *et*) fastos, quae adhuc in mysteriis habebantur, atque, uti modo vidimus, Patriciis tantum cognitae erant, cum vehementi patrum indignatione, maxima vero plebis gratia, evulgasse narratur. Varie tamen ea de re mentionem faciunt veteres scri-

(1) Cf. Dirksen. *Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der Zwölf-Tafel-Fragmente.* Leipz. 1824. p. 102 sq. 118. 125. 702. Zimmern. Op. l. T. III. p. 86.

ptores. *Livius* enim (1) *Flavium* illum Civile jus, repositum in penetralibus Pontificum, evulgasse dicit, fastosque circa forum in albo proposuisse, ut, quando lege agi posset, sciretur. *Cicero* (2) *Cnaeum Flavium* scribam fastos protulisse ait, actionesque composuisse. *Valerius Maximus* (3): »Jus »Civile," inquit, per multa saecula inter sacra »caerimoniasque deorum immortalium abditum, »solisque pontificibus notum, *Cn. Flavius*, liber»tino patre genitus, et scriba, cum ingenti nobili»tatis indignatione factus aedilis curulis, vulgavit, »ac fastos pene toto foro exposuit." *Pomponius* JCtus (4) rem ita enarrat: »Postea cum *Appius* »*Claudius* proposuisset (composuisset), et ad for»mam redegisset has actiones, *Cnaeus Flavius*, »scriba ejus, libertini filius, subreptum librum »populo tradidit, et adeo gratum fuit id munus »populo, ut Tribunus plebis fieret, Senator et »Aedilis curulis. Hic liber, qui actiones continet,

(1) IX. 46.

(2) Ep. ad Att. VI. 1.

(3) II. 5. 2. Cf. etiam *Cic.* de Orat. I. 41. pro Mur. 11. *Plin.* Hist. Nat 33. 6.

(4) l. 2. §. 7. D. de Or. jur.

» appellatur *jus civile Flavianum:* — nec *Cnaeus* » *Flavius* de suo quicquam adjecit libro." Ita fere res apud veteres relata legitur. Videmus autem apud *Pomponium* de actionibus tantum, nullam vero de fastis mentionem fieri, cum contra alii auctores, qui juris peritiam non profitebantur, tantum de fastis, non vero de actionibus evulgatis verba fecerint. Sed admonendi sumus, in re vetusta, qualis esset illa traditio popularis, non posse omnium rerum consensum exspectari. Quas autem legis actiones contineret illud jus Flavianum, nec *Pomponius* docet, nec aliunde constat. Probabiliter tamen Cl. Hugo (1) librum istum nihil aliud fuisse putat, quam formularum collectionem quandam (*eine Sammlung von Formularen*, *oder etwa Erörterungen*) vel ad legis actiones, vel omnino ad juris negotia pertinentium. Caeterum Flaviano facinore simul evulgatam fuisse juris peritiam, quae ab eo tempore desierit esse propria possessio Patriciorum, a veteribus diserte edocemur (2).

---

(1) Op. I. p. 453.

(2) Cf. Heineccius. Antiq. Rom. Synt. Prooem. §. 7. (Ed. Haubold. 1822) Hist juris civ. §. 48. Hugo. Op. I.

Praeter jus Flavianum, de alia rursus legis actionum compositione locutus est idem *Pomponius* (1): » Augescente," ait, » civitate, quia deerant quae» dam genera agendi, non post multum temporis » spatium *Sextus Aelius* alias actiones composuit, » et librum populo dedit, qui appellatur *jus Aelia» num.*"

» —" *Sextum Aelium* etiam *Ennius* laudavit, » et exstat illius liber, qui inscribitur *Tripertita*, » qui liber veluti cunabula juris continet. Tri» pertita autem dicitur, quoniam lege duodecim » Tabularum praeposita, jungitur interpretatio, de» inde subtexitur Legis actio. Ejusdem esse tres » alii libri referuntur: quos tamen quidam negant » ejusdem esse."

Priore igitur hujus loci parte Jurisconsultus facinus enarrat, Flaviano illi, de quo modo diximus, non prorsus dissimile. Vixit autem hic *Sextus Aelius* saeculo ab U. C. sexto medio, adeoque cen-

---

p. 449 sqq. Schilling. op. l. p. 124 sqq. Zimmern. I. p. 418 sq. J. de Wal. Disq. Hist. de juris civilis docendi discendique via ac ratione apud Rom. Gron. 1839. p. 34 sqq.

(1) l. 2. §. 7. et 38. D. de O. J.

tum circiter annis post *Cn. Flavii* aetatem. Ab *Ennio* et *Cicerone* laudatur (1)

»*Egregie cordatus homo, Catus Aelius Sextus.*"

Hic, cum post *Flavii* tempora nova agendi genera exstitisse, novasque leges, quibus actiones introductae essent, latas videret, formulas, quae ad haec nova agendi genera pertinerent, composuisse et evulgasse videtur, ejusque liber *jus Aelianum* dictus est. Caeterum nobis haec res parum cognita est et perspecta (2). Haec jam sufficiant. Restat, ut sequenti §. de lege agendi generibus dispiciamus.

§. 3. *De lege agendi generibus.*

»Lege autem agebatur modis quinque: sacra-
»mento; per judicis postulationem, per condictio-
»nem; per manus injectionem; per pignoris cap-
»tionem."

(1) *Cic.* de Rep. I. 18. Tusc. Q. I. 9. de Orat. I. 45. 48. Brut. 20. Cf. *Val. Max.* IV. 3. §. 7.

(2) Vid. etiam Heineccius. Ant. Rom. Synt. §. VIII. Hugo. Rechtsg. p. 454. Zimmern. I. p. 269. J. de Wal. Op. I. p. 85. sq.

Ita *Gajus* (1) varia enumerat legis actionum genera. Quod autem attinet ad ordinem, quo haec apud nostrum recensentur, dicendum videtur, *sacramenti actionem* primo loco ideo esse memoratam, quod generalis, vulgaris et quasi ordinarius erat lege agendi modus; deinde *condictionem* post *judicis postulationem* tertium occupare locum propter arctam cum hoc genere conjunctionem, quamvis et legis actione per manus injectionem et pignoris capione recentior esset. Porro *manus injectio* post tria illa agendi genera assignatus est locus, quia ad sententiae exsecutionem pertinebat, sive ad id, quod ultimum est in litigatione. Postremo hisce lege agendi modis addita est *pignoris capio*, quae tamen an legis actio esset, dubitabatur, ut suo loco dicetur (2).

Plura quam quinque illa legis actionum genera esse non videntur. Objiciat quis esse plures legis actiones, cum ipse *Gajus* etiam *in jure cessionem*

(1) IV. 12.

(2) Cf. Zimmern, III. p. 87. Hugo p. 309. Schilling. Op. l. p. 86. in f. Cl. A. C. Holtius. Historiae juris Rom. lineamenta. Leod 1830. §. 186. sq. Van Hasselt. Op. l. p. 22. in n.

legis actionem vocari dicat. Cujus verba haec sunt (1): »In jure cessio autem hoc modo fit: aput Magi- »stratum populi Romani, velut Praetorem, vel aput »Praesidem provinciae is cui res in jure ceditur »rem tenens ita dicit: HUNC EGO HOMINEM EX JURE »QUIRITIUM MEUM ESSE AJO. deinde postquam hic »vindicaverit, Praetor interrogat eum qui cedit, »an contra vindicet, quo negante aut tacente, tunc »ei, qui vindicaverit eam rem addicit, idque legis »actio vocatur." Sed haec diu nos morari non debent. In jure cessio enim nihil aliud est, quam rerum vindicatio: est lis quaedam simulata et imaginaria. Verissime igitur Dirksen: »*Diese Beschränkung*," inquit, »*auf die* cessio »in jure *ist denn auch nicht schwer zu erklä- »ren, indem die Grundlage dieses Rechtsacts »ein förmliches Processz-Ritual war, nehmlich »eine feierliche Vindication*" (2). Idem praeterea dicendum est de *manumissione vindicta*, *emanci-*

(1) II. 24.

(2) *Beiträge zur Kunde des Röm. Rechts* Leips. 1825. p. 224. Cf. Hugo. p. 311. Schrader. *Was gewinnt*, etc. p. 7.

patione, *adoptione*. Manumissio vindicta erat fictio controversiae circa libertatem hominis in causa liberali (1). Emancipatio et mancipationem et manumissionem in se continet, unde item tanquam vindicatio in libertatem consideranda est (2). Adoptio porro fiebat per mancipationes, jure venumdandi, et in jure cessionem, quae imaginaria est vindicatio, uti modo significavimus (3). Dicuntur autem hi actus jurisdictionis voluntariae, contentiosae oppositae. Atque hoc sensu in *Justiniani* compilationibus sermo est de *magistratu*, *apud quem est legis actio*, sive *qui habet legis actionem* (4).

---

(1) Cf. Dupont. Op. I. p. 8. Unterholzner. *Von den Formen der* manumissio per vindictam *und der* emancipatio: in *Zeitschrift für gesch. Rechtsw.* T. II. p. 143.

(2) Vid. Unterholzner. l. l. p. 157.

(3) Vid. *Gaj.* I. 134. *Gell.* Noct. Att. V. 19.

(4) Vid. l. 4. D. de adopt. l. 2. et 3. D. de off. Procons. Cf. *Paulus.* Rec. Sent. II. 25. 4. Zimmern. III. §. 40. in f. p. 113.

SECTIO II.

DE LEGIS ACTIONE SACRAMENTO.

(*Gaj.* IV. §. 13—17.)

---

§. 1. *De vocis sacramenti significatione.*

Quaenam legis actionum significatio, fontes et genera sint, superiore sectione exposuimus: nunc de singulis in specie videamus, adeoque primum de *legis actione sacramento*, cujus vocis significatio continuo est pervestiganda.

Sacramenti, quod arctam habet cum *sacris* conjunctionem, notiones his verbis reddit *Festus* (1): » Sacramento dicitur, quod jurisjurandi sacratione » interposita actum est. Unde quis sacramento dici» tur interrogari, quia jusjurandum interponitur."— » Sacramentum aes significat, quod poenae nomine » penditur, sive eo quis interrogatur, sive conten-

---

(1) in voce

» ditur. Id in aliis rebus quinquaginta assium est, » in aliis rebus quingentorum inter eos, qui judicio » inter se contenderent." — » Sacramenti autem » nomine id aes dici coeptum est, quod et propter » aerarii inopiam et sacrorum publicorum multitu- » dinem consumebatur id in rebus divinis."

Eo autem sensu, qui huc pertinet, *sacramentum* nihil aliud denotat quam pecuniam, quae actione vertitur, sive usurpatur in actione, ut infra melius patebit (*ein Succumbenzgeld*, ut dicunt Germani) (1). Non vero hic audiendus est *Isidorus*. Orig. V. 24, cum dicat: » Sacramentum est pignus sponsionis, » vocatum autem sacramentum, quia violare, quod » quisque promittit perfidiae est." Quod manifesto falsum est, et satis declarat *Isidorum* rem non intellexisse. Caeterum quanta in eo sit notionum perturbatio neminem fugit. Quoties autem lege agatur sacramento, certae pecuniae summae ab utraque parte litigantium fit depositio, quae pecunia a parte victi, teste *Gajo* (2), in publicum cederet.

(1) Vid. Zimmern. III. §. 58. p. 102; alii. — Cf. Cl. Asverus. *Ueber die* legis actio sacramenti. Leipzig 1837. p. 28 sqq.

(2) IV. 16. in f.

Antiquissimo tempore, ut videtur, sacramentum illud aerario Pontificum cedebat, ut rebus divinis impenderetur. *Varro* (1) enim narrat, pecuniam istam *ad pontem* esse deponendam, vel apud *Pontifices*, quos ita vocatos esse legimus, quia pontem Sublicium fecerint, in quo sacra facere solerent (2). Ibi fortasse posita erat urna aliqua, in qua pecunia conderetur, quae Pontificum aerarium esset. Posteriore vero aetate non deponebatur pecunia, sed tantum spondebatur, praedesque pro ea se Praetori obligabant. Sed hac de re infra plura dicemus.

Sacramenti summa, uti docent *Festus* (3) et *Gajus* (4), aut quingenaria erat, aut quinquagenaria. Nam de rebus mille aeris plurisve quingentis assibus, de minoris vero quinquaginta assibus sacra-

---

(1) De L. L. V. 36. (p. 49. Ed. Bip.): » Ea pecunia, » quae in judicium venit, in litibus, sacramentum a sacro » dicitur. Qui petebat et qui infitiabatur, de aliis rebus » uterque D asses aeris ad pontem (*pontificem*?) deponebant; de aliis rebus item certo alio legitimo numero as» sium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro » auferebat, victi ad aerarium redibat." Cf Ernesti, Clav. Ciceron. in v. *sacramentum*.

(2) Vid. *Liv.* I. 33. *Dion. Halic.* II. 73.

(3) l. l.

(4) IV. 13.

mento contendebatur. Quod ita lege XII Tabularum cautum erat.

Si quis justa de causa litigabat, is *justo sacramento contendere* dicebatur; aliaeque apud *Ciceronem* (1) occurrunt dictiones, veluti *sacramentum justum judicare*, *injustis sacramentis petere*, quae, quid sibi velint, ex ea, quam indicavimus, vocabuli notione, facile intelligitur.

Haec de sacramenti significatione. Nunc transeamus ad causas, ex quibus sacramento agebatur.

§. 2. *De causis, ex quibus sacramento agebatur.*

» Sacramenti actio generalis erat: de quibus enim » rebus ut aliter ageretur lege cautum non erat, de » his sacramento agebatur." Paucis hisce verbis *Gajus* (2) indicat vulgarem, communem, sive ordinarium agendi modum fuisse, si sacramento contendebatur. Quare assentiendum est Cl. Bethmann-Hollweg dicenti: » *Die andern* legis actiones

(1) Pro Caec 33. pro domo 29. de Orat. I. 10. pro Mil. 27.
(2) IV. 13.

» *sind also auserordentliche Proceszarten auf be-* » *sonderer Vorschrift beruhend*" (1). Sacramenti autem legis actione litigantibus uti licebat non solum si in rem, verum etiam si in personam agebant. Nullum scilicet omnino antiquissimis temporibus discrimen inter actiones in personam et in rem fuisse videtur. Itaque ad plurimas fere causas, de quibus lege aliqua duodecim Tabularum comprehensum erat, ut agere liceret, haec generalis actio spectasse dicenda est. Novimus etiam sacramento lege agi solitum fuisse de hereditate (2), de libertate (3), de eo, quod dari oportet (4), ut infra videbimus.

Cl. Heffterus (5) easdem potissimum causas, quae postea centumvirales erant, antea ex lege XII Tabularum sacramento interposito peractas esse putat,

---

(1) *Ueber die Competenz des Centumviralgerichts.* In *Zeitschrift für g. R. W.* T. V. p. 362. n. 9.

(2) *Gaj.* IV. 17. in f. *Val. Max.* V. 8. VII 7. *Plin.* Hist. Nat. VII. 5.

(3) *Gaj.* IV. 14. *Cic.* pro Caec. 33.

(4) *Gaj.* IV. 20.

(5) Gaji Instit. Comm. IV, recensuit, restituere conatus est, adnotationem perpetuam librumque observationum adjecit A. G. Heffter. Berol. 1827. p. 6 sqq.

cum post legem Aebutiam apud Centumviros de jure civili, quod XII Tabulis praesertim continebatur, disceptatum esse reperiamus, et quidem sacramento interposito. (*Gaj.* IV. 95.) Centumvirales autem causae hae maxime erant, teste *Cicerone* (1): »— in quibus usucapionum, tutelarum, gentili» tatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, » nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, » stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut rato» rum, caeterarumque rerum innumerabilium jura » versarentur." Et revera, cum de omnibus illis fere rebus legibus Decemviralibus jam statutum fuisse, praesertim de usucapionibus, tutelis, gentilitatibus, agnationibus, nexis, mancipiisque et testamentis, non ignoremus, porro etiam e *Gaji* fragmento ex libro IV ad legem XII Tabularum in l. ult. D. finium regund. de juribus praediorum a Decemviris leges scriptas fuisse suspicari possimus, sane se nobis commendare videtur Viri Cl. opinio. Sed praeterea non in privatis tantum causis, verum etiam in publici judicii causa sacramento actum esse

---

(1) De Orat. I. 38.

novimus. Etenim ex fragmentis legis Serviliae docemur, repetundarum crimen tam privata repetitione quam publica accusatione vindicari potuisse, adeoque privato jure per legis actionem et quidem per sacramentum pecunias captas ex legibus Calpurnia et Junia repetere licuisse. Huc pertinent verba legis Serviliae repetundarum, cap. VIII. vs. 23: »— AUT QUOD CUM EO LEGE CALPURNIA AUT LEGE »JUNIA SACRAMENTO ACTUM SIET." Est illa lex Calpurnia, quae prima de repetundis perpetuas instituit quaestiones, lata anno a. U. C. 604. eamque lex Junia post 20 fere annos secuta esse putatur: medio fere saeculo lata est lex Servilia (1).

Atque haec quidem de causis, ex quibus sacramento agebatur, dicta sunto. Ad ipsum lege agendi modum accedamus. Ab hoc tamen loco haud alienum videbitur, si prius de in jus vocando quaedam inseramus.

---

(1) Vid. Fragmenta legis Serviliae repetundarum. Ed. C. A. C. Klenze. Berol. 1825. p. XII et 40. Cf. Heffter. Op. l. p. 7. 23.

§. 3. *De in jus vocando.*

Omnium actionum instituendarum principium ab in jus vocando proficiscitur: utique enim inprimis adversarius in jus vocandus est, id est, ad eum vocandus est, qui jus dicturus sit sive Magistratus (1).

Erat autem in jus vocatio, apud priscos Romanos, privata ac rudis. Non enim magistratus edicto, non lictore sive apparitore opus erat, sed privatus (2) privatum in via publica appellabat, atque in jus venire jubebat. Qua in re solenni utebatur formula: IN JUS EAMUS, IN JUS VENI, IN JUS AMBULA (3). In jus vocatus statim sequi debebat. Hoc enim cautum erat lege XII Tabularum: »SI IN JUS VOCAT; (*ito*) NI IT, ANTESTATOR: IGITUR EM CAPITO" (4). Scilicet, si sequi nollet, primum fiebat *antestatio:* actor

(1) §. ult. J. de poena tem. litig. L. 1. D. de in jus voc.

(2) *Gell.* XIII. 13: » — a privato in jus vocari est » potestas" —

(3) Vid. *Plaut.* Curcul. V. 2. vs. 23 sqq.

(4) Vid. Unterholzner. in *Zeitschrift*, etc. T. II. p. 432 sqq. Dirksen. *Uebersicht*, etc. p. 129 sqq.

obvios quosque testes invocabat, prehensis auriculis, ut eos recte moneret (1). Cujus ritus monimentum perpulcrum est lapillus apud Laurinos, in quo caput sculptum, et manus aurem attingens, cum inscriptione: *μνημονεύε*, *memento* (2). Facta illa antestatione, in jus vocans adversarium prehendebat, et obtorto collo in jus rapiebat, qua de re legis verba exstant: »SI CALVITUR, PEDEMVE STRUIT, MANUM ENDO JACITO;" id est, *injicito* (3). Si sequi moraretur, aut retrorsus iret, aut fugeret, qui in jus vocatus esset, vis adhiberi poterat. Nec aliis licet eum, qui in jus raperetur, eximere (4). De domo tamen sua nemo extrahi poterat. *Gajus* (5): »Plerique," inquit, »putaverunt, nullum de domo

(1) Vid. *Plin.* H. N. XI. 41. *Acron* ad *Hor.* Serm. I. 9. vs. 74: »Denuntiantes litem antestatos habebant, »quibus praesentibus ita conveniebant, ut aurem illis »*tertio* (num pro *testibus?*) vellerent." Cf. quoque Festus. v. *contestari.*

(2) Vid. Heineccius. Ant. Rom. Synt. (Ed. Haubold. 1822) p. 670 in n.

(3) Vid. *Festus.* v. *struere.* Cf. l. 233. D. de Verb. Sign. Dirksen. l. l.

(4) Cf. l. 2. D. si quis in jus voc. non iverit. l. 4. D. ne quis eum qui in jus voc.

(5) l. 18. D. de in jus voc.

»sua in jus vocari licere: quia domus tutissimum »cuique refugium atque receptaculum sit: eumque, »qui inde in jus vocaret, vim inferre videri." Locus excerptus est ex *Gaji* libro I. ad legem XII Tabularum. Cf. l. 21. D. eod.

Si quis vero in jus vocatus morbo, imbecillitate, aut valitudine, aliove vitio, item propter senectutem impediretur, quominus in jus sequeretur, jumentum dari debebat. Qua de re scriptum fuisse in XII Tabulis *Gellius* (1) docet, haec legis verba esse dicens: »SI MORBUS AEVITASVE VITIUM ESCIT, QUI IN JUS VOCABIT, JUMENTUM DATO; SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO." Jumentum scilicet intelligendum est genus vehiculi sive vectabulum, quod adjunctis pecoribus trahebatur: arcera autem vocabatur plaustrum tectum undique et munitum: quod, qui in jus vocaret aegrotum ac senectute paene confectum, dare non tenebatur (2). Cessabat in jus vocatio, si de re paciscerentur litigaturi, et si vindicem (3)

---

(1) Noct. Att. XX. 1.

(2) Vid. *Gell.* l. l. *Non. Marcell.* de propriet. serm. I. §. 270. *Varro* de L. L. IV. 31. in f.

(3) Cf. *Gaj.* IV. 46: » — qui in jus vocatus neque ve» nerit, neque vindicem dederit."

daret in jus vocatus. »Qui in jus vocatus est, »duobus casibus dimittendus est; si quis ejus per»sonam defendet, et si dum in jus venitur, de re »transactum fuerit." Ita *Gajus* loquitur l. 22. §. 1. D. de in jus voc. Verba quaedam occurrunt apud *auctorem ad Herennium* II. 13, quae verosimiliter sunt duodecim Tabularum: »REM UTI PACUNT (vel PAGUNT) ORATO," (vel ORATOR). Quae huc referenda esse putant Interpretes (1).

Re tandem transactione non finita, postquam in jus ventum est, deinceps apud magistratum lege agebatur (2).

§. 4. *De legis actione sacramento, si in personam agebatur. — Lex Pinaria.*

Diximus supra, sacramenti actione usos fuisse veteres Romanos et si *in personam*, et si *in rem* agebatur. De sacramenti actione, si in personam agebatur,

---

(1) Vid. Dirksen. *Uebersicht*, etc. p. 156 sq. Zimmern. III. p. 329. n. 16. Cf. Hugo. p. 347 sq.

(2) Plura vide sis apud Zimmern. III. §. 108 et auctt. ibi laud.

pauca tantum dicenda habemus. Dolendum est nobis *Gaji* locum, ubi hac de re agitur, plane esse deletum, totamque paginam 192, propter miseram Codicis conditionem, nihil fere exhibere.

Non defuerunt tamen Viri docti, qui deperditum locum restituere conati sint. Inter hos Cl. Heffterus (1) loci scripturam conjectura assequi tentavit, *Gajum* ita fere scripsisse putans, §. 15: »Nunc »admonendi sumus istas omnes actiones certis qui»busdam et solemnibus verbis peragi debuisse. Si »v. gr. in personam agebatur, contra eum, qui »nexu se obligaverat, actor eum apud Praetorem »ita interrogabat: »QUANDO IN JURE TE CONSPICIO, »POSTULO AN FIAS AUCTOR, QUA DE RE NEXUM MECUM »FECISTI? et altero negante, ille dicebat: QUANDO »NEGAS, SACRAMENTO QUINGENARIO TE PROVOCO, SI »PROPTER TE FIDEMVE TUAM CAPTUS FRAUDATUSVE »SIEM. Deinde adversarius quoque dicebat: QUANDO »AIS, NEQUE NEGAS, ME NEXUM FECISSE TECUM, QUA »DE RE AGITUR, SIMILITER EGO TE SACRAMENTO QUIN»GENARIO PROVOCO, SI PROPTER ME FIDEMVE MEAM

(1) Op. I p. VII. sq.

» CAPTUS FRAUDATUSVE NON SIES. Quibus ab utraque » parte peractis, litigatores poscebant judicem, et » praetor ipsis diem praestituebat, quo ad judicem » accipiundum venirent."

Ita certe ingeniose restitutus hic locus est. Quod quam bene omnino et probabiliter factum sit, alii me peritiores judicent. Sane conjecturis et vero similitudine hic acquiescendum est (1). Omnes istae actiones quin certis solennibusque verbis peragi debuerint, nullum est dubium, cum illud ad legis actionum naturam omnino pertineat, ut jam supra significavimus.

Si igitur inter privatos lis erat orta et agebatur contra eum, qui nexu se obligaverat, actor et reus se invicem apud Magistratum interrogabant, et dein se sacramento provocabant solennibus formulis (2). Poenam sacramenti pro diverso rerum, de quibus contenderetur, pretio, aut quingenariam fuisse aut quinquagenariam, supra jam dictum est. Observat *Gajus* (3) sacramenti actionem perinde periculosam

(1) Cf. Zimmern. III. p. 107. Bethmann-Hollweg. l. l. p. 374.

(2) Vid. Heffter. l. l. in notis ad h. l.

(3) IV. 13.

esse falsis sacramentis, atque suo tempore periculosa erat actio certae creditae pecuniae, propter sponsionem, qua periclitatur reus, si temere neget, et restipulationem, qua periclitatur actor, si non debitum petatur: nam qui victus erat, summam sacramenti praestabat poenae nomine, eaque in publicum cedebat, praedesque eo nomine Praetori dabantur, non ut postea sponsionis et restipulationis poena lucro cedit adversario, qui vicerit. Haec *Gajus* dixit. Sed tempora hic distinguenda sunt. Nam olim, teste *Varrone* (1), ipsa sacramenti summa in sacro, *ad pontem* apud Pontifices deponebatur (2). *Varronis* verba sunt: »Qui pe»tebat et qui infitiabatur de aliis rebus uterque D »asses aeris ad pontem" (alii legendum esse censent: *ad pontificem* vel *apud Pontifices*) »deponebant; »de aliis rebus item certo alio legitimo numero »assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum »a sacro auferebat, victi ad aerarium redibat." Ait *Gajus:* »in publicum cedebat." Sacra sunt juris publici. Procedente vero tempore, commodita-

(1) de L. L. V. 36. p. 29. Ed. Gothofr. p. 49. Ed. Bip.
(2) Vid. supra §. 1.

tis causa, ut videtur, ipsa pecunia non amplius deponebatur; sponderi tantum solebat, pro qua Praetori se obligabant *praedes*. Erant hi praedes antiquum satisdatorum genus, fidejussores, maximeque intelligendi sunt, qui praedia habent, atque ita securitatem faciunt (1).

Postquam se invicem sacramento provocaverant litigantes, quid deinde sequeretur, hisce verbis *Gajum* docuisse suspicatur Cl. Heffter. »Quibus »ab utraque parte peractis litigatores poscebant ju»dicem, et praetor ipsis diem praestituebat, quo »ad judicem accipiundum venirent: postea vero »reversis dabatur ** X viris XXX (id est: die tri»gesimo) judex: idque per legem Pinariam factum »est; ante eam autem legem *nondum* dabatur ju»dex." En rursus loci laceri atque mutili tentata restitutio! Est certe difficillima quaestio, quid hoc loco *Gajus* dicere voluerit. Sermo ibi est de judice dando et accipiundo in causa sacramenti. Qua in

(1) Cf. (*Pseudo*)-*Asconius*, ad *Cic.* in Verr. I. 45. Van Hasselt. Op. l. p. 19 et p. 151. in n. — Bethmann-Hollweg. l. l. p. 393. Cf. *Gaj.* IV. 16: » — alios » autem praedes ipse praetor ab utroque accipiebat sacra» menti, quod id in publicum cedebat."

re mutationem quamdam effectam esse lege Pinaria quadam servata Codicis Veronensis verba aperte declarant. Sed de hac ipsa mutatione, qualis fuerit, disputatum est inter Viros doctos. Itaque varie hunc locum restituere conati sunt. Buttmannus legendum esse putat: »ante eam autem legem »*confestim* dabatur judex." Bethmann-Hollweg habet: »*statim.*" Van Hasselt (1) contra: »*nun-*»*quam.*" Heffterus, uti vidimus: »*nondum*," quocum facit etiam Zimmern (2).

Cl. Heffterus (3) suam sententiam ita proponit. Decemviri legibus scribendis ab initio rem judiciariam ita ordinaverant, ut decem judices singuli decimo quoque die jura redderent (*Liv.* III. 33) eoque munere ipsi per aliquod tempus functi sunt. Cum vero potestate sua abuti coeperant, translatumque denuo ad consules seu judices imperium est, iisdem quoque judicibus juris dicendi officium redditum et deinde a. U. C. anno 389 Praetori datum est. Judicis datio eo tempore nondum in usu fuit, prae-

(1) Op. I. p. 51. in n.
(2) T. III. p. 95. n. 4.
(3) l. l. p. 9. sq.

terquam ubi judex arbiterve lege postulandus erat. Omnis igitur causae judicatio judici publico sive quotidiano juris praefecto permittebatur, neque ullo in loco veteris historiae Romanae post XII tabulas latas judicum ad actiones sacramenti judicandas datorum certa extat commemoratio. Quae enim *Dionysius Halic.* memoriae prodidit, ea nihil aliud efficiunt, quam veteres reges judicia de criminibus coercendis interdum senatoribus reliquisse, Servium quoque judices quosdam ad causas privatas audiendas constituisse; plurima tamen ab ipsis regibus cognita et judicata esse legimus. Sic igitur sibi persuadet Vir Cl. cum ab initio consules et praetor per aliquod tempus ipsi judicia exercuerant de sacramentis, lata tandem est lex Pinaria, quae Praetori permisit, judicem ex decemviris, singulis causis judicandis, delegare. Eamque legem anno 404 a. U. C., decimo quinto post praeturam institutam, rogante *Lucio Pinario*, qui illo anno praetor fuisse reperitur (1), latam esse arbitratur. Annis superioribus res foenebris rem publicam vexaverat (*Liv.*

---

(1) Vid. *Anton. Augustin.* de famil. Roman. in Graevii Thes. Ant. T. VII. sq. 1258.

VII. 21) et fortasse litium frequentia propter aeris alieni magnitudinem praetorem, omnibus negotiis non amplius sufficientem, permovit, ut populum rogaret, novam legem, de decemviris ad singulas lites deputandis. Cum vero ne hi quidem amplius sufficerent omnibus sacramentis dijudicandis, lata est lex Aebutia.

Van Hasselt (1) item antiquissimo tempore judicem in actione sacramenti nondum datum fuisse existimat, sed ipsum Praetorem litigantium causam examinasse, eaque examinata decretum pronunciasse.

Nec aliter fere Zimmern (2) statuit. Dicit enim: » *So viel nun scheint gewisz, dasz eine* » sacramento *eingeleitete Sache erst seit einer* lex » Pinaria *vor den* (unus) judex *gekommen.*" Sane simplicitate commendat se haec sententia, ita ut et nos facile statuere posse videamur, post legem Pinariam demum (de qua praeterea nil constat) in actione sacramenti unum judicem, judicasse (3).

(1) Op. I. p. 33. p. 51. n. 2. p. 153.

(2) T. III. p. 95.

(3) Cf. Hugo. p. 344. Asverus. Op. I. p. 96. in n. Contrarium autem statuit auctor opusculi: *Ueber die* Legis Actiones *und das Centumviralgericht der Römer.* Zwi-

Judex ille dabatur die trigesimo, ut docemur ex observatione (*Pseudo*)-*Asconii* in Verrin. I. 9: »namque quum in rem aliquam agerent litigatores, »et poena se sacramenti peterent, poscebant judi- »cem, qui dabatur post trigesimum diem, quo »dato deinde inter se perendinum diem, ut ad »judicium venirent, denunciabant." Heffterus, ut jam supra vidimus, putat ex lege Pinaria, cum sacramento ageretur, unum judicem ex decemviris stlitibus judicandis datum esse, neque infelici conjectura nomen decemvirorum in Blumii notis se reperisse ait. Eamque sententiam ita fere probare conatur (1). *Decemviros stlitibus judicandis* antiquitus judicasse, id est, judicandi munere functos esse, partim vetus illud »stlitibus judicandis" nomini ipsorum adjectum, (appellatio enim ipsa sum-

ckau 1839, qui cum Buttmanno legendum esse censet: »*confestim*." »*Denn*," inquit, »*hätte* Gajus *berich*- »*ten wollen*, *dasz in früherer Zeit bei der* sacramenti »actio *kein* judex *bestellt worden sei*, *so würde sich eine* »*so wichtige Abweichung von dem späteren Verfahren* »*offenbar nicht zu einer blosz gelegentlichen Einschaltung* »*geeignet haben*, *wie sie in der fraglichen Stelle ent*- »*halten ist*." p. 14. Cf. Idem p. 53.

(1) l. l. p. 8-11.

mam antiquitatem demonstrat), partim vulgaris et consueta *judicii decemvirûm* appellatio (teste *Varrone* de L. L. VIII. 49, et *Cicerone* Orat. 46), partim diserta *Ciceronis* testimonia, qnibus efficitur, decemviros in causis liberalibus sua aetate judicasse, cum sacramento ageretur (pro Caec. c. 33. et pro domo c. 29), adfatim ostendunt. Decemvirorum post leges XII Tab. conditas perpetua erat Romae creatio, neque ii ullo unquam tempore post abrogata *Appio Claudio* ejusque collegis imperia creari desierunt, unice tamen stlitibus judicandis destinati. Probat hoc ipsa lex Horatia anni 306 a. U. C. ubi restituto imperio consulari sancitum est: ut qui tribunis plebis, aedilibus, judicibus (h. e. *consulibus*), *decemviris* nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset. (*Liv.* III. 55). — Quid vero est, quod apud *Pomponium* scriptum extat in l. 2. §. 29. D. de Orig. juris: »— Deinde cum esset necessarius ma»gistratus, qui *hastae* praeessent, Decemviri in »litibus judicandis sunt constituti?" Nemo diffitebitur, subobscura esse verba. Sed fortasse Pomponius dicere voluit, eas partes causarum, quae olim ad solam praetoriam jurisdictionem pertinebant,

postea vero cum centumviris communicatae sunt, (ergo sacramenti actiones, communi forte *hastae* nomine comprehensas, quia in his judiciis hasta praeponebatur), decemviris tanquam magistratibus permissas esse. Restat, ut *Pomponio* duce legamus: » dabatur *a decemviris* die trigesimo judex." Atque ita Heffterus conjecturas suas de *Gaji* loco (IV. 15) satis stabiliisse sibi videtur. Non desunt tamen, qui rem aliter exponendam esse censeant (1). Et fatemur, in re incerta et perobscura nihil a nobis esse definiendum.

Accepto judicio, *comperendinatio* fiebat, id est, interpretante (*Pseudo*)-*Asconio* (2): » ab utrisque » litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendi- » num diem." Sed ipsum *Gajum* audiamus. Quae deinde apud judicem fieri solerent, his verbis enarrat (3): » Postea tamen quam judex datus esset, » comperendinum diem, ut ad judicem venirent, » denuntiabant: deinde cum ad judicem venerant, » antequam apud eum causam perorarent, solebant

(1) Cf. Zimmern. III. p. 59. sq. et auctt. ibi l.
(2) l. l.
(3) IV. 15.

» breviter ei et quasi per indicem rem exponere: » quae dicebatur causae collectio, quasi causae suae » in breve coactio" (1). Primo igitur litigantes ju- » dici breviter et quasi per indicem causam exponebant, cujus summa componeretur et ordinaretur. Postea vero ab utraque parte fiebat causae peroratio. Caeterum cum illa causae collectione consuetudinem *conclusiones* recitandi in Gallicis judiciis observatam non male comparari posse monet Cl. Heffter (2).

§. 5. *De sacramenti actione, si in rem agebatur. — Vindicatio. Deductio.*

Quae de sacramenti actione, si in rem agendum erat, e *Gaji* Codice Veronensi innotuerint, ea ampliora sunt, et certiora. Qualis hic litigandi modus fuerit, nunc dispiciamus.

---

(1) (*Pseudo*)-*Asconius*. l. l. » Quum litigatores ad judi- » cium venissent, antequam caussa ageretur, quasi per in- » dicem rem exponebant: quod ipsum dicebatur caussae » conjectio, quasi caussae suae in breve coactio." Cf. *Gell.* V. 10: » et cum ad judices conjiciendae consistendaeque » causae gratia venissent." — L. 1. D. de Reg. juris.

(2) in n. ad h. l. p. IX.

Cum igitur sacramento in rem esset agendum, postquam in jus ventum est, prius utrimque a litigantibus fiebat *vindicatio* in re praesenti, sive res mobilis esset sive soli. Et ita vetustissimis temporibus sese res habuit. Est autem *vindicare*, ex *Gaji* (1) definitione, »intendere rem suam ex jure »Quiritium esse." Cf. *Cicero* de Inv. II. 53. E recentioribus Interpretibus vocis etymologiam docte examinavit Ballhorn-Rosen (2). Ex ejus sententia *vindicare* idem est quod *indicare*, quod a Graeco verbo ἐνδείκειν, addito digammate Aeolico, quod vocatur, ortum esse intelligitur (3). Vindicatio igitur cum in re praesenti fieri deberet, hoc modo peragebatur. *Vindiciae* (4) sive res, de qua controversia erat, si mobilis erat aut se movens, in jus adducebatur: actor *festucam* sive hastam, signum quoddam justi dominii (5), manu tenens,

(1) II. 194.

(2) *Ueber Dominium.* Lemgo 1822. p. 185. sqq.

(3) Cf. Van Hasselt. Op. I. p. 17.

(4) *Festus.* in v.: »Vindiciae appellantur res eae, de »quibus controversia est."

(5) *Gaj.* IV. 16. in f.: »festuca autem utebantur quasi »hastae loco, signo quodam justi dominii; omnium enim »maxime sua esse credebant, quae ex hostibus cepissent;

sinistra ipsam rem apprehendebat, eique, suam esse dicens ex jure Quiritium, simul festucam imponebat. Si v. gr. de homine controversia erat, ita dicebat: »HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITIUM »MEUM ESSE AJO, SECUNDUM SUAM CAUSAM SICUT DIXI: »ECCE TIBI VINDICTAM INPOSUI." Deinde adversarius iisdem verbis et actibus similiter rem vindicabat (1).

Si vero de re soli, de fundo lis erat orta, antiquissimis temporibus litigantes cum ipso magistratu ad fundum proficiscebantur, in quo praesenti vindicatio fieret. Praesens enim, uti diximus, res coram Magistratu vindicari debebat. Quo in more veterum Romanorum simplicitatem et rusticitatem in litigandi ratione conspicuam rursus observare licet.

Hoc modo dum ab utroque litigante vindicatio fiebat, agentes *in jure manum conserere* dicebantur. »Vindicia," ait *Gellius* (2), »id est cor»reptio manus in re atque in loco praesenti, apud

» unde in centumviralibus judiciis hasta praeponitur." Cf. *Plaut.* Mil. glor. IV. 1. vs. 15. *Pers.* Sat. V. vs. 175. *Suet.* Octav. 36. *Martial.* VII. 63. vs. 7.

(1) *Gaj.* IV. 16. initio. Cf. B. ten Brink. Diss. de hasta praecipuo apud Rom. signo, inprimis justi dominii. Gron. 1839 p. 69 sqq.

(2) N. A. XX. 10.

» Praetorem ex duodecim Tabulis fiebat, in quibus » ita scriptum est: Si qui in jure manum conserunt."

Est enim *manum conserere*," interpretante eodem *Gellio*, » de qua re disceptatur, in re prae» senti, sive ager sive quid aliud est, cum ad» versario simul manu prendere, et in ea re omni» bus (solennibus) verbis vindicare." Hujus formulae origo inde repetenda esse videtur, quod Romani primis temporibus non nisi armis rem decernerent. Et revera totus hic vindicandi actus belli refert speciem; pugna instituitur more militari, unde de *vi civili et festucaria* ingeniose hoc loco locutus est *Gellius* (1). Ad hunc maxime locum pertinet theoria, quam nuper protulit doctissimus Asverus (2), qua scilicet probare voluit, Romanos antiquitus certamine singulari (*Zweikampf*) in litigando uti solitos fuisse. Naturam igitur legis actionis sacramenti hanc esse concludit: » *Jeder* » *Sacramentalprocesz war ein nach den Regeln*

(1) l. l. in f. Cf. Dupont. Op. l. p. 5. Van Hasselt. p. 25.

(2) *Ueber die* legis actio sacramenti. *Von* D^r. G. Asverus. Leipz. 1837. inpr. p. 77 sqq.

» *des Kriegs eingeleiteter und abgemessener Zwei-*
» *kampf, worin es sich also um Leben und Frei-*
» *heit handelte*" (1). Quae omnia a Viro Doct. illustrata invenies tam variis veterum scriptorum locis, quam comparatione instituta cum eo, quod apud alias gentes, inprimis Germanicas juris fuisse legimus (2). Fatendum est, auctorem docte et ingeniose omnino novam suam theoriam illustrasse: an

---

(1) Vid. p. 91.

(2) Vid. p. 7 sqq. — Sic in *lege Alamannorum* occurrit titulus: (84)

» *De his, qui de terra sua inter se contendunt.*

» Si qua contentio orta fuerit inter duas genealogias de
» termino terrae eorum et unus dicit: hic est noster ter-
» minus, alius revadit in alium locum et dicit: hic est no-
» ster terminus, ibi praesens sit comes de plebe illa et po-
» nat signum ubi iste voluerit, et ubi ille alius voluerit
» terminum, et girent ipsam contentionem. Postquam gi-
» rata fuerit, veniant in medium et praesente comite tollant
» de ipsa terra, quod Alamanni *curffodi* dicunt et ramos de
» ipsis arboribus infigant in ipsam terram, quam tollunt et
» illae genealogiae, quae contendunt, levent illam terram,
» praesente comite et commendent in sua manu. Ille in-
» volvat in fanone et ponat sigillum et commendet fideli
» manu usque ad statutum placitum. Tunc spondeant inter
» se pugnam duorum. Quando parati sunt ad pugnam,
» tunc ponant ipsam terram in medio et tangant ipsam cum
» spatis suis, cum quibus pugnare debent et testificentur
» deum creatorem, ut, cujus sit justitia, ipsius sit et vic-
» toria, et pugnent. Qualis de ipsis vicerit, ipse possi-
» deat illam contentionem et illi alii praesumtiosi, quia pro-
» prietatem contradixerunt, duodecim solidos componant."

vero ea probanda, nec nimis longe arcessita dicenda sit, alia est quaestio, ad quam equidem affirmando respondere non audeo (1). Sane argumenta, quae afferuntur ad theoriam illam probandam, satis levia nobis videntur.

Sed ad ipsam vindicationem redeamus. Ea rite facta, Praetor utrumque litigantem *rem mittere*, id est, manus ab ea auferre jubebat, ita dicens: »MITTITE AMBO HOMINEM." Cui jussui postquam obtemperaverant, is, qui prior vindicaverat, adversarium interrogabat, quanam ex causa vindicaverit: »POSTULO ANNE DICAS, QUA EX CAUSA VINDI»CAVERIS:" ille respondebat: »JUS PEREGI, SICUT »VINDICTAM INPOSUI" (2).

Diximus supra, antiquissimis temporibus in fundum itum esse vindicationis causa. Posteriori autem aetate mutationem hac in re invaluisse *Gellius* (3) nos docet: »Postquam enim," ait, »Praetores propagatis Italiae finibus (4), datis

(1) Vid. etiam censor in: *Repertorium der gesammten deutschen Literatur. Von* Gersdorf. B. XV. p. 321.

(2) *Gaj.* IV. 16.

(3) XX. 10.

(4) Post initium saeculi VI. U. C.

»(*auctis*, *latis*) jurisdictionibus, negotiis occupati, »proficisci vindiciarum dicendarum causa in lon- »ginquas res gravabantur, institutum est, con- »tra duodecim Tabulas, tacito consensu, ut liti- »gantes non in jure apud Praetorem manum con- »sererent, sed ex jure manum consertum vocarent, »id est, alter alterum de jure ad conserendam »manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque »profecti simul in agrum, de quo litigabatur, ter- »rae aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in »urbem ad Praetorem deferrent: et in ea gleba, »tanquam in toto agro, vindicarent" (1). Ad hunc locum etiam pertinent, quae *Gajus* dicit paragrapho 17. Si qua res talis erat, ut non sine incommodo posset in jus afferri vel adduci, velut si columna, aut grex alicujus pecoris esset, pars aliqua inde sumebatur; deinde in eam partem, quasi in totam rem praesentem, fiebat vindicatio. Itaque ex grege vel una ovis aut capra in jus adducebatur, vel etiam pilus inde sumebatur et in jus afferebatur;

---

(1) *Festus*. v. *vindiciae:* » — — Vindiciae olim dicebantur illae (*glebae?*), quae ex fundo sumtae in jus allatae erant."

ex nave vero et columna aliqua pars defringebatur. Similiter si de fundo, vel de aedibus, sive de hereditate controversia erat, pars aliqua inde sumebatur, et in jus afferebatur, et in eam partem perinde atque in totam rem praesentem fiebat vindicatio: velut ex fundo gleba sumebatur, et ex aedibus tegula, et si de hereditate controversia erat, aeque (1) res aliqua mobilis inde sumebatur et in jus afferebatur, vel servus ex familia defuncti adducebatur.

Sed praeterea recentiori tempore totam ambulationem in fundum fingi tantum, a *Cicerone* docemur, qui propterea hoc ridet, atque inanem et obscuram Jurisconsultorum diligentiam perstringit (2). Ita fere sese res habuisse videtur *Ciceronis* aetate. Si de fundo controversia erat, uterque vindicans ita dicebat: »FUNDUS, QUI EST IN AGRO, QUI SABINUS VOCATUR, EUM EGO EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO." Tum, qui prior vindicaverat: »INDE EGO TE EX JURE MANUM CONSERTUM VOCO." Adversarius:

---

(1) Vid. Heffter. in n. ad h. l.

(2) Vid. Or. pro Mur. c. 12. pro Caec. 1. 7. 8. pro Tullio 16.

UNDE TU ME EX JURE MANUM CONSERTUM VOCASTI, INDE IBI (vel EGO?) TE REVOCO." Deinde Praetor: »SUIS UTRISQUE SUPERSTITIBUS PRAESENTIBUS (1) ISTAM VIAM DICO (2): INITE VIAM." Sed non abibant in fundum. Nam paucis tantum passibus factis, Praetor dicebat: »REDITE VIAM." Scilicet, quod longe commodius erat, institutum est, ut litigatores inter se diem constituerent, quo cum amicis, ut testes adsint, in rem praesentem venirent, et vindicias sumerent. Quod patet ex verbis *Ciceronis* in Or. pro Caecina cap. 7: »placuit Caecinae, de amicorum sententia »constituere, quo die in rem praesentem venire»tur, et de fundo Caecina moribus deduceretur. »Colloquuntur. Dies ex utriusque commodo sumitur. »Caecina cum amicis ad diem venit." rel. Cf. ib. cap. 8. pro Tullio cap. 16. — Et hoc quidem modo *deductio*, *quae moribus fit*, peragi, *ex conventu aut moribus vis fieri*, alter alterum *moribus deducere* dicebatur. Qua ratione tum vindicandi ritus commodior erat factus, tum simul ejus, quod

(1) *Festus*. v. *superstites:* »— Superstites testes praesentes significat. Cujus rei testimonium est, quod superstitibus praesentibus, ii, inter quos controversia est, »vindicias sumere jubentur."

(2) Alii legere malunt: »SUMITE VINDICIAS."

antea fieret, servabatur memoria (1). Hisce peractis, deinde in jus abibant. Atque ita cernimus quomodo magis magisque minus molesta evaserit illa rerum soli vindicatio. Etenim primis temporibus ex lege XII Tabularum litigantes cum ipso Magistratu proficiscebantur ad fundum, in quo praesente vindicatio fieret; postea, subacta Italia, soli ad fundum iverunt, magistratu non comitante; deinde hoc simularunt duntaxat; postremo totam hanc simulationem omiserunt; videtur adeo ipsa in re vindicatio exolevisse.

Haec de vindicatione sufficiant. Postquam ea rite facta erat, sequebatur provocatio sacramento. Qui prior vindicaverat, dicebat: »QUANDO TU INJURIA VINDICAVISTI, D AERIS SACRAMENTO TE PROVOCO." Adversarius quoque dicebat: SIMILITER EGO TE." Deinde eadem quoque sequebantur, quae cum in personam ageretur (2). Qua de re supra jam vidimus (3). Pendente lite, Praetor alterutrum rei li-

(1) Vid. Savigny. *Ueber die* lis vindiciarum. In *Zeitschrift für Gesch. Rechtswiss.* T. III. p. 427 sqq. Von Hasselt. p. 147.

(2) *Gaj.* IV. 16.

(3) Vid. supra §. 4. *Ascon.* in Verrin. I. 9 Zimmern.

tigiosae interim constituebat possessorem. Ait *Gajus:* »Postea Praetor secundum alterum eorum vindicias »dicebat, id est, interim aliquem possessorem con»stituebat, eumque jubebat praedes adversario dare »litis et vindiciarum, id est, rei et fructuum.” *Vindiciae* igitur hoc loco possessionem significant et fructus. Ita quoque Cl. Hugo statuit: »*dasz* »lis *der eigentliche Gegenstand des Streites* (*wie* »*bey* in litem jurare), vindiciae *aber der Besitz*, »*den man von der Obrigkeit erlangt hatte*, *also* »*auch die davon gezogenen Vortheile*, *die Früch*»*te*, *hiesz*” (1). Qui possessor constitutus erat, fructus interim percipiebat. Secundum quamnam vero normam Praetor possessionem concedere soleret, *Gajus* non docet. Dupontius (2) conjicit, eum possessorem a Praetore constitutum fuisse, qui praeter satisdationem nomine rei et fructuum, majorem praestaret pecuniae summam (Cf. *Gaj.* IV. 166), quam perderet, si temere circa possessionem liti-

---

III. p. 106. n. 23. Aliter rem explicat Bethmann-Hollweg. l. l. p. 379. n. 39.

(1) Hugo. *Lehrbuch der Gesch. des Röm. Rechts.* p 314. n. 4. in f.

(2) Op. l. p 14

gasset. Sed probabilius van Hasselt (1) existimat Praetorem eum possessorem constituisse, cujus causa summatim cognita, ipsi prima fronte melius videretur. Quodsi vero alter satisdare nollet, penes alterum possessio remansisse videtur: in pari enim causa possessor potior habetur. Arg. *Paul.* Rec. Sent. I. 11.

Postremo is, qui possessor constitutus erat, praedes dare debebat litis et vindiciarum, quibus dandis cavebat se rem et fructus restituturum, si judicio victus esset. *Pseudo-Asconius* ad *Cic.* in Verr. I. 45: »Lis vindiciarum," inquit, »est cum »litigatur de ea re apud praetorem, cujus (cum?) »incertum est, quis debeat esse possessor, et ideo, »qui eam tenet, satisdat pro praede litis vindiciarum »adversario suo, quo illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua jurgium »esset." Huc fortasse pertinet fragmentum illud XII Tabularum, cujus mentio fit apud *Festum* (2): »Si vindiciam falsam tulit, (rei) sive stlitis,

(1) Op. I. p. 29. Cf. Hugo. p. 312. Zimmern. III, p. 111. Ballhorn. Op. I. p. 173 sqq.
(2) v. *vindiciae*.

(PRAETOR) ARBITROS TRIS DATO, EORUM ARBITRIO FRUCTUS DUPLIONE DAMNUM DECIDITO." Oratio est obscura. Sed videmus de duplo fructuum sermonem fuisse in illa lege. Dicendum videtur, possessorem, qui falso effecerit, ut vindiciae secundum eum dicerentur, duplo fructuum puniri, cum sine jure in possessione fuerit, et dolo malo fruitus sit re aliena (1).

§. 6. *De liberali causa.*

Hucusque vidimus de actione sacramenti si in personam et si in rem agebatur: restat autem, ut de liberali causa, de qua scilicet peculiaria quaedam sunt notanda, hoc §. pauca moneamus.

Poena sacramenti, uti supra scripsimus, varia erat pro rei, de qua litigaretur, pretio: nam aut quingenaria erat, aut quinquagenaria. »At si de »libertate hominis controversia erat, etsi pretiosis»simus homo esset, tamen, ut L assibus sacra»mento contenderetur, eadem lege (scilicet XII Ta»bularum) cautum est favoris causa, ne satisda-

(1) Cf. Heffter. Op. I. p. 16. n. 6. Dirksen. *Uebersicht*, etc. p. 715 sqq. Hugo. p. 314. n. 5.

» tione (1) onerarentur adsertores." Ita *Gajus* loquitur Comm. IV. §. 14. In liberali autem causa homo, de quo controversia erat, ab una parte in servitutem, ab altera in libertatem ab adsertore vindicari vel adseri dicebatur. Qui enim pro alio agebat libertatis causa *adsertor* vocabatur. *Varro*, de L. L. V. 7. habet: » *adserere manu*, in libertatem cum prehendimus" (2). Inde *adsertoris* nomen ortum est. Ipsi autem homini agere non licebat, ne, si secundum dominum forte judicaretur, ex eventu contingeret, servum cum domino litigasse, ut putat *Theophilus*: ad pr. I. de his, per quos agere poss.

Praeterea peculiare quoque in liberali causa erat, quod in favorem libertatis vindiciae semper dicebantur *secundum libertatem*, id est, secundum eum, qui in libertatem adseruerat. Notissimum est ex Historia Romana *Appii Claudii* flagitium illud, de quo hisce verbis locutus est *Pomponius* in l. 2.

(1) Heffter. in n. ad h. l.: » Num fortasse: *pluris da-* » *tione*, vel *praedis datione?* Nam dubitari potest, an » *Gajus satisdationem* dixerit de veterum sacramentorum » causa."

(2) Cf. *Terentius*. Adelph. II. 1. vs. 40. *Plautus*. Poenul. IV. 2. vs. 83 sq. V. 2. vs. 4.

§. 24. D. de Orig. jur.: »Initium fuisse secessionis »dicitur Verginius quidam, qui, (cum animadver-»tisset, Appium Claudium, contra jus, quod ipse »ex vetere jure in duodecim Tabulas transtulerat, »vindicias filiae suae a se abdixisse: et secundum »eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat, »dixisse: captumque amore virginis omne fas ac »nefas miscuisse) indignatus, quod vetustissima ju-»ris observantia in persona filiae suae defecisset, »(utpote cum Brutus, qui primus Romae Consul »fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in »persona Vindicis Vitelliorum servi, qui proditionis »conjurationem indicio suo detexerat) et castitatem »filiae vitae quoque ejus praeferendam putaret, ar-»repto cultro de taberna lanionis filiam interfe-»cit" (1).

Caeterum notemus, favorem adsertionum ostendere etiam jura recentiora: Vat. Fragm. §. 324: »Ob turpitudinem et famositatem prohibentur qui-»dam cognituram suscipere; adsertionem non nisi »suspecti praetori."

---

(1) Cf. *Liv.* III. 44 sqq. *Dion. Halic.* XI. 30. *Cicero* de Rep. III. 32: »Cum vindicias amisisset ipsa libertas."

SECTIO III.

DE LEGIS ACTIONE PER JUDICIS POSTULATIONEM ET PER CONDICTIONEM.

(*Gaj.* IV. §. 12 et §. 17 f. — 20.)

---

§. 1. *Quid sit judicis postulatio.*

Post sacramenti actionem proxime memoratur apud *Gajum* (1) lege agendi modus *per judicis postulationem.* Verum maxime dolemus, deperditum esse folium Codicis Veronensis, cujus argumentum fuisse descriptionem actionis, quae per judicis postulationem fieri dicebatur, verosimile est (2). Pauca igitur tantum de judicis postulatione monenda habemus. Apparet tamen ex *Gaji* Comm. IV. §. 20, hanc legis actionem, praeter illam sacramento, utpote generaliorem, satis vulgarem agendi modum fuisse (3), cum reliquae actionum species

(1) IV. 12.

(2) Vid. Goeschen. ad h. l.

(3) Cf. Auctor opusc. *Ueber die* Legis Actiones *und das Centumviralgericht der Römer.* Zwickau 1839. p. 17. 35 sqq.

rariores tantum casus contingerent. Verba *Gaji* haec sunt: »Quare autem haec actio (sc. *per con*»*dictionem*) desiderata sit, cum de eo, quod no»bis dari oportet, potuerimus sacramento, *aut per* »*judicis postulationem* agere, valde quaeritur." Sunt tamen Interpretes, qui statuant judicis postulationem propriam legis actionem dici non posse, sed partem et sequelam actionis sacramenti potius esse habendam. Dupontius (1) suspicatur de judicis postulatione separatim sermonem non fuisse in codice Veronensi: *Gajum* autem §. 12. Comm. IV. eam inter caeteras legis actiones singulariter nominasse, quia quandoque legis actiones institui peragique poterant, quin eas judicis postulatio sequeretur, veluti si Praetor rem ipse dijudicaret, vel reus confiteretur. Sed haec sententia non magnopere sese commendat: nec ei assentiri possumus, cum ipse *Gajus*, uti modo vidimus, de judicis postulatione tanquam de peculiari et a caeteris diversa actione satis clare locutus sit (2).

(1) Op. l. p. 16 sq.

(2) Cf. van Hasselt. p. 50. Zimmern. III. p. 115. n. 1. Hugo. p. 315.

Ipsa autem hujus legis actionis denominatio perspicue indicat, proprium fuisse hujus actionis, ut certis sollennibusque verbis, quod mos ferebat, judex specialis rei judicandae gratia a jus dicente sive Magistratu petendus esset. Eo pertinere videtur formula, quam *Valerius Probus* hisce literis contineri dicit: »P. (vel TRE) I. A. V. P. V. D.," quas ita interpretatus est: »PRAETOR (vel TEMPORE) »JUDICEM ARBITRUMVE POSTULO UTI DES" (1). *Postulare* solenne est juris vocabulum, cujus definitionem habemus apud *Ulpianum* in l. 1 §. 2 D. de postul. »Postulare," inquit, »est desiderium suum »vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni »praeest, exponere: vel alterius desiderio contra»dicere." Constat porro hunc morem judicem postulandi duodecim Tabulis confirmatum esse pluribus legibus (2). Sic in iis conjunctam *judicis ar-*

(1) Ed. Gothofredi. p. 1476. Cl. Heffter. Op. *l.* p. 12. n. 2. sub literis formae secundae latere putat non *tempore*, sed *tres;* ita ut tota forma ita legenda sit: » *tres judices arbitrosve postulo uti des.*"

(2) Vid. Cl. Holtius. Hist. jur. Rom. lineam. §. 194. Cf. Zimmern. III. p. 24 sqq. De judicis postulatione ita pronunciat auctor opusc. cit. *Ueber die* Legis Actiones, etc. p. 77 in f: » *Sie ist das* A *und das* Ω *des römischen* » *Processes.*"

bitrive mentionem esse factam *Gellius* (1) auctor est. Item *Festus* (2) inter fragmenta XII Tabularum recitat et haec verba: »QUID HORUM FUAT UNUM JUDICI, ARBITROVE, REOVE.” Cl. Heffter (3) hanc legis actionem accuratius *judicis arbitrive postulationem* dicendam esse, idque ad origines causasque propius deducere existimat.

§. 2. *De causis, ex quibus per judicis postulationem lege actum fuisse videtur.*

Si quaeritur de causis, ex quibus per judicis postulationem lege actum fuisse videatur, sane facile non est ad hanc quaestionem recte respondere, praesertim cum *Gaji* locus hac de re nihil plane exhibeat. Periculum tamen fecerunt Interpretes recentiores, ex quibus docte et sollerter Cl. Heffter (4) de re disseruit. Certas causas ad unum pluresve

(1) N. A. XX. 1.
(2) v. *reus*.
(3) Op. I. p. 12.
(4) l. l.

arbitros agendas lege XII Tabularum expressas fuisse novimus. Sunt autem maxime hae:

judicium familiae erciscundae, quod ipse *Gajus* ex lege XII Tabularum descendere ait. l. 1. pr. D. famil. ercisc., et sine dubio etiam *judicium communi dividundo.* In utroque et post legis actiones sublatas *arbiter postulari* dicebatur, qui tamen et *judex* promiscue audit. Vid. *Cic.* pro Caecina. c. 7. *Paulus* Rec. Sent. I. 1. 1.

Jurgia de finibus, quibus regundis tres arbitri ex lege XII Tabularum destinandi erant. *Cic.* de Leg. I. 21.

Si quis vindiciam falsam tulerat, ubi item tres arbitri dandi erant. *Festus* v. *vindiciae.*

Actio: si aqua pluvia nocet, id est, nocere poterit, quemadmodum haec XII Tabularum verba *Pomponius* in l. 21. pr. D. de statu liberis, interpretatus est, ex qua lege erat actio, ut noxae domino caveretur, docente *Paulo* l. 5. D. ne quid in loco publ., et *Ciceronis* adhuc tempore *arbiter adigi* dicebatur. Top. c. 10. Cf. l. 24. pr. D. de aqua et a. pl.

Et ad has quidem causas, ait V. Cl., argumenta disertiora ducunt. Omnes autem et judicem, qui

de jure cognoscat, et arbitrum, qui rem ex aequitate ordinet, desiderant, quare prudenter XII Tabularum auctores utrumque, id est, judicium et arbitrium in his causis miscuisse et semper *judicis arbitrive* nomina conjunxisse videntur. Decemviros enim judicis dationem a datione arbitri pro diversitate causarum separasse, nullo modo probari potest. Nec revera ulla paene causa, ex legibus disceptanda, excogitari poterit, quae tota in solum viri boni arbitrium conferri queat, omni juris quaestione plane semota. Hinc etiam antiqua emersit dubitatio inter JCtos, qui *judex* et qui *arbiter* dicendus esset. Vid. *Cic.* pro Mur. c. 12. in f. Quid igitur obstat, quominus alias etiam XII Tabularum causas, quae non tam ad judicium, quam arbitrium aequabile, maxime aestimationis, desiderabant, ad judicis postulationem referamus? Veniebant autem ex XII Tabulis judicia haec, ad id genus spectantia:

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, et de pastu. Vid. l. 1. pr. D. si quadrupes p. f. d. pr. J. eod. l. 14. §. 3. D. de praescript. verbis.

De damno injuria dato. l. 1. D. ad leg. Aquil.

et de damno infecto; quod colligi potest ex similitudine actionis: *si aqua pluvia nocet*, quae ipsa quoque ad damnum infectum pertinebat. — Atque ita Cl. Heffter scripsit. Van Hasselt (1) *judicis* vocabulo in verbis: *actio per judicis postulationem*, et *arbitrum* contineri statuens, vero simile esse putat, cum per judicis postulationem et de quibusdam rebus certis et de quibusdam incertis agi potuerit, judices datos fuisse, ubi de illis, arbitros vero, ubi de his statuendum erat, et litis fieri debebat aestimatio. Zimmern (2) ad causas, ex quibus per judicis postulationem lege ageretur, omnes eas vult referri, quae ex bonae fidei negotiis, quae postea dicebantur, oriebantur, quatenus saltem XII Tabularum tempore exstiterint. Quo pertinere videtur locus *Ciceronis* de Off. III. 10: » praeclarum a majoribus accepimus morem rogandi » judicis, si eum teneremus (*si ea rogaremus*), quae » salva fide facere possit." Praeterea etiam Zimmern causis hujus legis actionis annumerat eas, quas Heffterum recensuisse supra vidimus.

(1) Op. I. p. 55.
(2) III. p. 117 sqq.

»*Aber auch*, inquit, *überall, wo eine schätzung* »*nöthig war, mag es zur* judicis postulatio *ge-* »*kommen seyn, und insofern auch beym* dare »oportere, *wenn* rei aestimatio *die* datio *der Sa-* »*che selbst vertreten muszte, und vielleicht auch* »*dann, wenn wegen Nichtexistenz der Sache* »*nicht vindicirt, aber Entschädigung gefordert* »*werden konnte.*" Et haec quidem satis probabilia de causis, ex quibus per judicis postulationem lege actum fuisse videtur, dicta sunt.

§. 3. *De forma legis actionis per judicis postulationem.*

De forma legis actionis per judicis postulationem vix quaedam dici possunt. »Futilius est," ait Cl. Heffter (1), »de forma hujus actionis quae- »rere, de qua praeter notas *Valerii Probi* nihil »usquam exstat." Van Hasselt (2) putat, Judices Arbitrosve sine formula fuisse datos, hoc est, sine mandato Praetoris super eo, quod ipsis facien-

(1) Op. I. p. 13.
(2) Op. I. p. 56 sq. Cf. Zimmern. III. p. 116.

dum esset, (*zonder instructie*): porro, hosce judices et arbitros statuisse de re integra, id est, nondum apud Praetorem agitari coepta, ut apud hunc judex tantum fuerit postulatus, neque quid amplius apud ipsum fuerit actum. Nec male Cl. Heffter (1) rem ita sibi proponit: in jus vocationem sequebatur cantilena quaedam apud Praetorem, rem, de qua agebatur, sive genus causae demonstrans, deinde ipsa judicis arbitrive aut trium judicum arbitrorumve postulatio et datio, sive addictio.

Caeterum notemus, judicem semper sumi debere ex conventione litigantium, auctoritate tamen Praetoris accedente. Ait enim *Cicero* (2): »Neminem »voluerunt majores nostri non modo de existima»tione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de »re minima esse judicem, nisi qui inter adversa»rios convenisset." Huc etiam referri potest formula illa apud *Festum* (3): »SI ALIUM PROCAS, NIVE »EUM PROCAS:" id est, *poscis*. Quonam loco, qui-

(1) l. l.
(2) pro Cluentio. c 43. Cf. Zimmern. III. p. 25.
(3) v. *procum*.

busque diei partibus judex de re cognosceret, lege XII Tabularum cautum est: »IN COMITIO AUT IN »FORO ANTE MERIDIEM CAUSAM CONSCITO (*conjicito*), »QUOM PERORANT AMBO PRAESENTES, POST MERIDIEM »PRAESENTI STLITEM ADDICITO, SOL OCCASUS SUPREMA »TEMPESTAS ESTO" (1).

§. 4. *De legis actionis per condictionem denominatione et origine. Lex Silia et Calpurnia.*

Legis actioni per judicis postulationem, ordine a *Gajo* servato, postponitur *legis actio per condictionem*, de qua nunc, age, videamus.

Nomen ex eo habet, quod actor adversario denunciabat, ut ad judicem capiundum die trigesimo adesset. Ita *Gajus* loquitur Comm. IV. §. 18. Est enim *condicere* denunciare prisca lingua (2). *Theophilus* ad §. 15. I. de action.: »*condicere*," inquit,

(1) Vid. *Gell.* XVII. 2. Dirksen. *Uebersicht*, etc. p. 168. sqq. *Censorinus.* de die natal. cap. 24. Zimmern. III. p. 105. p. 334 sqq. et auctt. ibi l.

(2) §. 15. I. de action.

»ἐστὶ κατὰ τὴν ἀρχαῖαν διάλεκτον παράγγειλαι, »πάλαι γὰρ ὁ ἔχων δίκην πρός τινα παρήγγελεν »αὐτῷ ὅτι „ἐλθὲ τῇδε τῇ ἡμέρᾳ ὡς δικασομένος »μετ' ἐμοῦ."" Hinc etiam *condictus dies* dicitur, apud *Gellium.* Noct. Att. XVI. 4. *Plautum.* Curcul. Act. I. sc. 1. vs. 5. Verum postea inde manavit significatio longe diversa. »Nunc vero," ait *Gajus* (1), »non proprie condictionem dicimus, »actionem in personam, qua intendimus dare no»bis oportere: nulla enim hoc tempore eo nomine »denunciatio fit." Improprie igitur sive abusive recentiori tempore, respectu ad antiquam legis actionem ejusque formam habito, actionis in personam *condictiones* vocatae sunt.

Constituta autem haec legis actio est per *legem Siliam* et *Calpurniam;* lege quidem Silia certae pecuniae, lege vero Calpurnia de omni certa re (2). Propria igitur hisce legibus introducta est legis actio in personam, ita ut de omni certa re debita tunc actio competeret. »*Certum* est," definiente *Paulo* in l. 6. D. de reb. cred. »cujus species vel

(1) l. l.
(2) *Gaj.* IV. 19.

» quantitas aut nomine suo, aut ejusmodi demon-
» stratione, quae nominis vice fungitur, qualis quan-
» taque sit, ipsa obligatione ostenditur."

De aetate illarum legum non constat. Lex Silia in dubio lata esse videtur a Tribuno Plebis, nec sine causa eae lege Hortensia, qua cautum fuit, ut Plebiscita universum populum tenerent, (a. U. C. 467.) seriores esse putantur (1). Ex Ruperti verò tabulis genealogicis (2) lex Silia a° 344, lex vero Calpurni a° 592 est adscribenda. Cl. Heffter (3) tempora legis Siliae et Calpurniae plane ignorari dicit, sed latas esse videri magis magisque increscentibus civium opibus et jam laetioribus rerum commerciis, cum veterum negotia perficiendi et juris repetendi modorum molestia sentiebatur.

§. 5. *Cur haec actio desiderata fuisse videatur.*

Valde quaesitum esse suo tempore *Gajus* ait,

---

(1) Arg. *Liv.* IV. 54. Vid Cl. Holtius Hist. Jur. Rom. Lin. §. 443. Cf van Hasselt. Op. I. p. 155. in n.
(2) Gött. 1794.
(3) p. 14

quare haec legis actio per condictionem desiderata fuerit, cum de eo, quod nobis dari oportet, vel sacramento vel per judicis postulationem agi potuisset. Temerarium igitur videri possit, quod, cujus rei causam *Gajus* (1) suaeque aetatis JCti nesciebant, eam nos reddere velimus. Si tamen hic periculum facere licet, dicendum esse censemus: quamvis ejus utilitas, propter *Gaji* verba, uon evidentissima fuisse videatur, commodius tamen hoc agendi genus erat: et cum nulla causa in vita civili rerumque commercio tam primaria sit, quam certae pecuniae, eo fortasse declarari potest, cur ista commoditas in litigandi ratione ita desiderata fuerit.

Pro nexi mancipiique ambagibus, ait Heffter (2) fortasse invaluerat in contrahendo usus stipulationum simplici verborum solennitate contentarum. Justum est, obligationem certam certam et promptam habere exsecutionem, ideoque etiam in condictione legis Siliae et Calpurniae strictae cujusdam celeritatis ratio praecipua fuisse videtur. Nec fere aliter

(1) IV. 20.
(2) Op. l. p. 14.

Zimmern (1) existimat: »*Wenn das leztere* (*die* »judicis postulatio),“ inquit, »*nur der* aestimatio »*halber vorgekommen, so scheint die Absicht, das* »*Gefährliche des* sacramentum *bey den Klagen* »*auf das* dare *überhaupt, also auch wo keine* »*Schätzung nöthig war, zu vermeiden, die Ein*»*führung der* condictio *veranlaszt zu haben.*“

Ceterum non sine bona ratione conjici potest, post introductam legis actionem per condictionem, sacramenti actionem non amplius in usu remansisse, nisi cum in rem ageretur, et judicis postulationem ex parte saltem novae huic actioni in personam cessisse (2).

§. 6. *De forma legis actionis per condictionem.*

Qualis fuerit legis actionis per condictionem forma, explicari vix potest, cum paucissima tantum sint, quae de hac actione innotuerint. Mutilum *Gaji* locum (pag. 195. Cod. Veronensis) ita restitue-

(1) Op. l. III. p. 120.
(2) Cf. Zimmern. III. p. 104. 119. 121.

re conatus est Cl. Heffter, ut primos tres hujus paginae versus haec fere expressisse putet: » Enim» vero modum aequalem paene capiendi judicis ob» servabant, qui etiam ad judicem postulandum » adhibitus est, denique condictio autem adpellari » coepta a lege Varia" (1). Magnam familiaritatem intercessisse inter judicis postulationem et condictionem certe negari nequit, quod item observat Cl. Hugo (2). Hoc vero tantum de lege agendi modo per condictionem constat, actorem reo condixisse, id est, ut supra diximus, denunciasse debere, ut die trigesimo ad judicem capiendum adesset. Quo facto, reum forsan cavere debuisse, se eo die affuturum esse, opinatur van Hasselt (3). Zimmern (4) putat, reum, si non adesset die constituto, pro confesso habitum esse. Cl. Heffter (5) sic statuit: Neque in jus vocatione, et ut statim in jus iretur, opus erat ex illis legibus (Silia et Calpurnia); sufficiebat denunciatio a creditore debitori

(1) Vid. n. ad h. l. p. xi.
(2) *Rechtsgeschichte*. p. 315.
(3) Op. l. p. 157.
(4) III. p. 120.
(5) Op. l. p. 14.

facta, testibus forsitan adhibitis, eique, cui facta erat, necessitatem imponens, die trigesimo ad capiendum judicem veniendi. Quod si non fiebat, sive reus de ea re non respondebat, neque litem suscipiebat, praesenti actori stlis addicebatur et reus duci jubebatur. Sane si hic die trigesimo stetit et judicium accipere paratus erat, vix alio modo res ad finem perduci poterat quam per judicis postulationem (1). Haec de legis actionibus per judicis postulationem et per condictionem dicenda habuimus.

---

(1) Cf. Auctor opusc.: *Ueber die* Legis Actiones, etc. Zwickau 1839. p. 7.

SECTIO IV.

DE LEGIS ACTIONE PER MANUS INJECTIONEM, ET PER PIGNORIS CAPIONEM.

(*Gaj.* IV. §. 21—29).

---

§. 1. *Quid sit manus injectio.*

Venimus jam ad modos lege agendi, qui ad executionem pertinent, scilicet eos, qui *per manus injectionem* et *per pignoris capionem* dicuntur, quorum origo, causae, formae hac sectione nobis examinandae sunt. Et prius est, ut de legis actione per manus injectionem dispiciamus. Ante omnia videamus, quid sit manus injectio.

Variis casibus de manus injectione sermonem fuisse apud veteres novimus. Generaliter, ut ait *Servius* ad *Virg.* Aen. X. 1. »Sermone juris manus in»jectio dicitur, quoties nulla juris auctoritate ex»spectata rem nobis debitam vindicamus." Manus injectionem permissam fuisse domino in servos suos, potestati herili subtractos, dubitari non posse ob-

servat Cl. Heffter (1). Ministrum *Appii Claudii* Decemviri *Virginiae* manum injecisse, serva sua natam servamque appellasse, et sequi se jussisse, cunctantem vi abstracturum, legimus apud *Livium* (2). Porro occurrit manus injectio in Digestorum opere, quae scilicet a venditoribus servorum excipi solebat, ut servo, ex lege venditionis libero facto vel contra legem venditionis prostituto auxilium ferretur vel mancipium, ea lege venditum, ut exportaretur, nisi hoc factum fuerit, ad priorem dominum retraheretur (3). Item eo pertinet locus in *Vat. Fragm.* §. 6: »Mulier servam ea lege vendidit, ut si redisset in eam civitatem, unde placuit exportari, manus injectio esset. Manente »vinculo servitutis si redierit, quae vendidit manum »iniciet et ex jure concesso mancipium abducet: »post manumissionem autem si redierit, in perpetuam servitutem sub eadem lege publice distrahe-

(1) Op. I. p. 15.

(2) III. 44. Cf Zimmern. III. p. 122. n. 2 et 7. Asverus. Op. I. p. 91 in f. sq.

(3) L. 20. §. 2. D. de manum. l. 10. §. 1. D. de in jus voc. l. 9. D. de serv. export. l. 7. D. qui siue manum. Cf. l. 1 et 2. C. de serv. export. l. un. §. 4. C. de Lat. lib.

» tur. Quae vendidit si manum injecerit non libe- » ratae, mancipium retinere poterit ac manumit- » tere" cet. Praeterea occurrit manus injectio occasione in jus vocationis, qua de re supra jam diximus.

Legis actione per manus injectionem utebantur litigatores coram magistratu, adhibito solenni ritu et formula. Plures ejus species a *Gajo* enumerantur. De singulis ordine videndum est.

§. 2. *De manus injectione judicati ex lege XII Tabularum.*

Vetustissima manus injectionis species est, quae fiebat in causa judicati. Introducta illa est lege XII Tabularum, cujus verba exstant apud *Gellium* (1): » AERIS CONFESSI (*confessis*) REBUSQUE JURE JUDICATIS TRIGINTA DIES JUSTI SUNTO, POST DEINDE MANUS INJECTIO ESTO, IN JUS DUCITO; NI JUDICATUM FACIT AUT QUIS ENDO EO IN JURE (*qui endo em jure*) VINDICIT, SECUM DUCITO, VINCITO AUT NERVO AUT COMPEDIBUS XV PONDO NE MINORE AUT SI VOLET MAJORE

(1) N. A. XX. 1.

(*ne majore aut si volet minore*) VINCITO. SI VOLET SUO VIVITO; NI SUO VIVIT, QUI EM VINCTUM HABEBIT, LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO, SI VOLET PLUS DATO." Confessi igitur aeris ac debiti judicatis triginta dies dabantur, conquirendae pecuniae causa, quam dissolverent, eosque dies Decemviri *justos* appellaverunt, velut quoddam justitium, id est, juris inter eos quasi interstitionem quandam et cessationem: quibus diebus nihil cum his agi jure posset (1). Si res male cedebat, sequebatur manus injectio, quae apud *Gajum* (2) ita describitur. Actor judicatum corporis parte prehendebat, simul certis sollennibusque verbis dicens, qua de causa eum prenderet, quae verba a JCto ita scripta inveniuntur: » QUOD TU MIHI JUDICATUS SIVE DAMNATUS ES SESTER- » TIUM X MILIA, QUAE DOLO MALO NON SOLVISTI, OB » EAM REM EGO TIBI SESTERTIUM X MILIUM JUDICATI, » MANUS INJICIO." Facta illa manus injectione, judicato non licebat manum jure injectam sibi depellere, et pro se lege agere; sed *vindicem*, qui dicebatur, dare poterat, qui pro se causam ageret.

(1) *Gell* l. l.
(2) IV. 21.

Est in lege: *ni judicatum facit, aut quis endo em jure vindicit.* DUPONTIUS (1) hoc ita intelligendum esse statuit, ut vindicis munus, causam judicati agendo, restringatur ad transigendum, vel fortasse ad litem movendam de eo, quod injuste per manus injectionem actum fuerat. »*Der* vindex," ait Zimmern (2), »*wird also, nämlich jetz* in jure, »*um den spätern Ausdruck zu gebrauchen*, litis »dominus, *und liberirt dadurch den Schuldner* »*von seinem bisherigen Glaübiger.*" Vindicis mentio quoque fit in alio fragmento XII Tabularum, »in quibus," ait *Gellius* (N. A. XVI. 10) »si »recte commemini, ita scriptum est: ASSIDUO VIN»DEX ASSIDUUS ESTO, PROLETARIO QUOIQUIS VOLET, »VINDEX ESTO" 3).

Si judicatus vindicem non dabat, domum ducebatur ab actore et vinciebatur (4). Lege XII Ta-

---

(1) Op. l. p. 22. Cf. van Hasselt. p. 65. 67. Heffter. p. 16.

(2) III. p. 132.

(3) Vid. Hugo p. 318. n. 2. *Festus. v. vindex;* »Vin»dex ab eo, qui vindicat, quo minus is, qui prensus est, ab »aliquo teneatur." Cf *Boethius* ad Top. Cicer. c. 2: »Vin»dex est, qui alienam causam suscipit vindicandam, veluti »quos nunc procuratores vocamus."

(4) Qualis esset *addictorum* sive *adjudicatorum* status et

bularum, ut vidimus, definitum erat, quomodo judicatus vinciri atque ali apud creditorem deberet. Admodum dura ejus erat conditio. Nam vinciebatur aut nervo, id est, ferreo vinculo, quo etiam cervices impediuntur (1), aut compedibus, *XV pondo ne minore aut si volet majore.* Suis impensis, si vellet, vivere poterat, suo vero vivere si nollet, creditor singulis diebus libram farris vel plus ei dare debebat. »Erat autem," ait JCtus apud *Gellium.* l. l. »jus interea paciscendi, ac nisi pacti forent, ha»bebantur in vinculis dies sexaginta. Inter eos »dies, trinis nundinis continuis ad Praetorem in »comitium producebantur, quantaeque pecuniae ju»dicati essent, praedicabatur (praedicebatur)." Dimittendus igitur erat judicatus, si de re pactum fuerit, si debitor pecuniam adhuc solvisset, aut

---

conditio examinavit Zimmern. III. §. 45. p. 124-130. Cf. van Hasselt. Op. l. p. 69 sqq. p. 165 sqq. A. Bethmann-Hollweg. *Gerichtsverfassung und Prozesz des Röm. Reichs.* I. 1. p. 6. Bonn. 1834. Ceterum non videtur res sic intelligenda (ut *Gajus* innuit) ut sic manus injectione facta continuo abduci posset: potius verba legis apud Gellium significant, eum denuo in ius ducendum fuisse, itaque locus erat et opportunitas vindici dando. Vid. Savigny. *Ueber das altröm. Schuldrecht. Berlin.* 1834. p. 13.

(1) Vid. *Festus* v. *nervum.* Alii putarunt esse caudicem. (*een blok, ein Fusz-Block.*)

alius, ut videtur, pro eo dependisset (1). Quod si non intervenerat, trinis nundinis continuis ad Magistratum in comitium, quod erat fori pars, palam producebatur addictus, et simul quantae pecuniae judicatus esset, praedicebatur, ut unusquisque e populo eum redimere posset. Nundinis enim magna ibi erat hominum sive urbanorum, sive rus habitantium iisque diebus nundinandi causa in urbem confluentium, frequentia. Quibus tandem frustra peractis, » tertiis nundinis capite poenas dabant, » aut trans Tiberim peregre venum ibant, — nam » si plures forent, quibus reus esset judicatus, se» care, si vellent, atque partiri corpus addicti sibi » hominis permiserunt" Decemviri. — » TERTIIS » NUNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLUS MINUSVE SECUE» RUNT, SE (*sine*) FRAUDE ESTO." Et ita quidem JCtus *Caecilius*, apud *Gellium* l. l. *Favorino* philosopho rem narrat. Qui cum exclamasset: » De » immanitate illa secandi partiendique humani cor» poris, si unus ob pecuniam debitam adjudicatus » addictusque sit pluribus, non libet meminisse, et

(1) Cf. *Liv.* VI. 20. VI. 14 sq. *Seneca.* de Benef. III. 8.

» piget dicere. Quid enim videri potest efferatius, » quid ab hominis ingenio diversius, quam quod » membra et artus inopis debitoris brevissimo la- » niatu distrahantur, sicut nunc bona venum di- » strahuntur?" ita respondit *Caecilius:* » Nihil pro- » fecto immitius, nihil immanius: nisi, ut re ipsa » apparet, eo consilio tanta immanitas poenae de- » nunciata est, ne ad eam unquam perveniretur. » Addici namque nunc et vinciri multos videmus, » quia vinculorum poenam deterrimi homines con- » temnunt. Dissectum esse antiquitus neminem » equidem neque legi, neque audivi, quoniam sae- » vitia ista poenae contemni non quita est."

Haec apud *Gellium* legimus: et eodem fere modo ea de re verba fecerunt *Quinctilianus* (1) et *Tertullianus* (2).

(1) I. O. III. 6: » Sunt enim quaedam non laudabilia na- » tura, sed jure concessa: ut in XII Tabulis debitoris cor- » pus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus » repudiavit."

(2) In Apolog. c. 4: » Sed et judicatos in partes secari a » creditoribus leges erant: consensu tamen publico crudelitas » postea erasa est, et in pudoris notam capitis poena conversa » est bonorum adhita proscriptione: suffundere maluit homi- » nis sanguinem quam effundere." Vid. etiam *Dion. Cassii* Excerpta in Nova Scriptorum veterum collect. Ed. Majo. P. II. p. 144: „πλείστων γοῦν δεινῶν, κ. τ. λ."

Attamen haec veterum testimonia in dubium vocarunt Interpretes haud pauci, velut Bynkershoek, Taylor, Dabelow, alii, qui debitoris corpus in partes secari licitum fuisse credere nolentes, varie tamen legis verba: *tertiis nundinis partis secanto*, reliq. interpretati sunt (1). Sed ab altera parte non defuerunt viri docti, qui *Gellio*, aliisque veteribus auctoribus fidem adjungendam esse contendant, inter quos nominandus est Celebr. Niebuhrius. Hic autem juris fuisse statuit, ut cuique creditori hominem sibi addictum occidere licuerit, quod si vero pluribus addictus esset homo, ut pro rata cujusque debiti parte eum in frusta secare debuerint. »*Waren mehrere Gläubiger, so* »*gestattete ihnen das Gesetz den Verurtheilten* »*nach dem Uncialverhältnisz ihrer Schuldforde-* »*rung, zu zerhauen, und eine ausdrückliche* »*Clausel die es unsträflich machte dieses Maasz* »*nicht ganz genau beobachtet zu haben*, (si plus

(1) Varias Interpretum sententias recenset B. C. J. Visscher. Diss. de jure creditorum in bonis et persona debitoris, etc. p. 30 sqq. Traj. ad Rh. 1824. Cf. van Hasselt. p. 86.

» minusve secuerunt se fraude esto) *befreyte sie von* » *der Exception*," cet. (1).

Et revera *Gellium* aliosque veteres scriptores ita fuisse deceptos, credibile non videtur. Nec se commendat Bynkershoekiana, aliorumque, qui illum secuti sunt, explicatio. Notemus etiam similia atrocitatis exempla occurrere in jure criminali aliorum populorum etiam recentiorum. Erat, exempli gratia, in *Norvegia* lex, dicta *Gulathings Lög*, data anno p. Chr. n. 940: »*Dasz, wenn die* » *Freunde des Schuldners ihn nicht lösen wollen,* » *der Gläubiger Macht habe, von ihm zu hauen* » *so viel er will, oben oder nieder*" (2). Et in Francia aurea aetate *Ludovici* XIV. nova lex scripta est his verbis: » *Les banqueroutiers frauduleux* » *seront poursuivis extraordinairement et punis* » *de mort*" (3).

(1) *Röm. Geschichte.* Berlin. 1812. T. II. p. 323 sq. Ed. 2ª. p. 670.

(2) Grimm: in *Zeitschrift für geschichtl. Rechtsw.* T. III. p. 125. *Deutsche Rechtsalterthümer.* Gött. 1828. p. 615 sqq.

(3) *Ordonnance pour le commerce.* 1673. Titre XI. Art. 12. In: *Recueil général des anciennes lois Françaises; par* Isambert, Decrusy, Taillandier. Vol. XIX. Paris 1829.

Sed pluribus haec persequi hoc loco supersedemus (1). Restat tantum, ut observemus, verba illa: » *trans Tiberim peregre venum ibant*" ita intelligenda esse, ut dicamus, hominem liberum vendi quidem non potuisse, sed tamen *hostibus*, id est, peregrinis, tradi et a primo quoque occupari, ideoque etiam pretio pacto hostium cuidam tradi potuisse.

Diximus de manus injectione ex causa judicati secundum legem XII Tabularum. Nunc de aliis speciebus videamus.

§. 3. *Pro judicato manus injectio. — Lex Publilia et Furia de sponsu.*

Praeter antiquam illam manus injectionem in causa judicati, postea novis legibus ex aliis quibusdam causis data est legis actio per manus injectionem, eaque *pro judicato*, efficta ad exemplum judicati manus injectionis, quasi judicatum esset,

(1) Cf. Hugo. Op. I. p. 353 sqq. Zimmern. III. p. 134 sq. Bethmann-Hollweg. *Gerichtsverfassung*, cet. I. 1. p. 297 sqq. — Citari quoque solet Shakespear. *The Merchant of Venice.*

quod non erat iudicatum. Hoc maxime factum est *lege Publilia* in eum, pro quo sponsor dependisset, si in sex mensibus proximis, quam pro eo depensum esset, non solvisset sponsori pecuniam, et *lege Furia de sponsu* adversus eum, qui a sponsore plus quam virilem partem exegisset, ad reddendum illud, quod virilem partem excederet. Id enim lege praescriptum erat ut inter sponsores, qui essent eo tempore, quo pecunia peti posset, in tot partes deduceretur obligatio, quot essent numero, utque a singulis viriles tantum exigerentur partes. Vid. *Gaj.* III. 121. Hae vero leges non solae fuerunt, quae talem manus injectionem dederint. Addit enim *Gajus* (1): » et denique complures aliae leges in multis causis » talem actionem dederunt." Sed quaenam hae fuerint non docet.

Cernebatur autem in illa quoque pro judicato manus injectione prisca legum XII Tabularum severitas. Etenim cum ita ageretur, reus sibi manum depellere non poterat, nisi vindicis interventu. Idem igitur hic locum habebat, quod in lege agendi

(1) IV. 22. in f.

modo in causa judicati juris fuisse vidimus. Quod ad formam hujus actionis attinet, is, cui pro judicato actio data erat, nominata causa, ex qua agebat, ita inferebat: »OB EAM REM EGO TIBI PRO »JUDICATO MANUM INJICIO" (1).

§. 4. *Manus injectio pura.* — *Lex Furia testamentaria*, *Marcia*, *Val* .... (?)

»Set aliae leges (in multis causis) constituerunt »quasdam actiones per manus injectionem, sed »puram, id est, non pro judicato; veluti lex Furia testamentaria adversus eum, qui legatorum no»mine mortisve causa plus M assibus cepisset, cum »ea lege non esset exceptus, ut ei plus capere li»ceret: item lex Marcia adversus feneratores, ut si »usuras exegissent, de his reddendis per manus »injectionem cum eis ageretur" (2).

Aliis igitur legibus alia rursus legis actio per manus injectionem introducta est, sed mitior, quae

---

(1) Vid. etiam van Hasselt. Op. I. p. 162. Zimmern. III. p. 137.
(2) *Gaj.* IV. 23.

pura dicebatur, id est, non pro judicato, pura ab illa, de qua modo locuti sumus, fictione. Ex his autem legibus novimus duas, *legem Furiam testamentariam*, et *legem Marciam.* Per legem Furiam illam plus quam mille assium legatum mortisve causa capi prohibetur praeter exceptas personas (1); et adversus eum, qui plus ceperit, quadrupli poena est, per manus injectionem persequenda (2). Lege Marcia hujusmodi manus injectio adversus foeneratores constituta est (3).

Ex his et similibus quibusdam legibus manus injectio quidem dabatur, sed ita, ut reo semper manum sibi depellere et pro se lege agere liceret, remissa igitur vindicis dandi necessitate. Actor autem in ipsa legis actione non adjiciebat haec verba: *pro judicato*, sed nominata causa, ex qua agebat, ita adjiciebat: »OB EAM REM EGO TIBI MANUM IN» JICIO." Quare, ut *Gajus* docet (4), in forma

---

(1) Vid. *Gaj.* II. 225. *Vat. Fragm.* §. 301. *Ulp.* Fragm. XXVIII. 7.

(2) *Ulp.* initio. *Gaj.* IV. 23.

(3) Cf. Cl. Holtius. Hist. J. R Lineam. §. 393. Adscribitur lex Marcia a°. 402, propter locum *Liv.* VII. 21.

(4) IV. 24.

legis Furiae testamentariae male insertum fuit verbum *pro judicato*, cum illud in ipsa lege non esset: »quod," inquit, »videtur nulla ratione factum."

Praeterea e Codice Veronensi edocti sumus, lege quadam, quam alii Interpretes, veluti Goeschen, *Villiam* vel *Vellejam*, alii, ut Huschkius, *Valgiam*, nominatam esse putant, Hefflerus *Variam* appellatam esse arbitratur, nos vero cum Dirksenio (1), *Valeriam* fuisse conjicimus, in omnibus fere causis, in quibus hactenus manum sibi depellere reo non licebat, effectum esse, ut id liceret. Itaque ex eo inde tempore quaelibet manus injectio in puram mutata est: duae tantum occurrunt exceptiones: scilicet, cum judicati lege XII Tabularum, et depensi lege Publilia ageretur, in quibus causis antiquum jus servatum est; adeoque judicatus et is, pro quo depensum erat, etiam post hanc legem vindicem dare debebant, et nisi darent, domum ducebantur. »Itaque" (sunt verba *Gaji*) »quamdiu legis actiones in usu erant, semper ita »observabantur: unde nostris temporibus is, cum

(1) *Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des Röm. Rechts* Lips. 1823. p. 150.

» quo judicati depensive agitur, judicatum solvi sa-
» tisdare cogitur" (1).

§. 5. *De legis actionis per pignoris capionem origine et causis.*

Hactenus vidimus de quatuor lege agendi modis. Superest quintum genus, scilicet *per pignoris capionem*, de cujus origine et causis nunc est dicendum.

Per pignoris capionem ut lege ageretur ex quibusdam causis introductum est tum moribus tum lege. Et moribus quidem concessa est pignoris capio propter aes militare, id est, eam pecuniam, quae stipendii nomine dabatur. Etenim postquam stipendium erat introductum, quod primum a°. U.C. 349. militibus dari coeptum est (2), favore rei militaris institutum est, ut, nisi stipendium consueto more solveretur, pignoris capionem contra eum, qui aes illud militare distribueret, Tribunum aerarium,

(1) IV. 25

(2) Vid. *Liv.* IV. 59. Cf. *Laurent. Lyd.* de Magistr. I. 44. p. 76. Ed. Paris. Vid. etiam Hugo. p. 320. in n.

miles haberet (1). »Item propter eam pecuniam," uti refert *Gajus*, »licebat pignus capere, ex qua »equus emendus erat: quae pecunia dicebatur aes »equestre, item propter eam pecuniam, ex qua »hordeum equis erat comparandum. quae pecunia »dicebatur aes hordiarium" (2). Lege autem instituta est pignoris capio sacrorum causa, velut lege XII Tabularum adversus eum, qui hostiam emisset, nec pretium redderet: item adversus eum, qui mercedem non redderet pro eo jumento, quod quis ideo locasset, ut inde pecuniam acceptam in dapem, id est, in sacrificium impenderet (3).

Praeterea *lege . . . . oria*, quam *censoriam* nominandam esse censent Dirksen (4), Heffter (5), Zimmern (6), data est pignoris capio publicanis

---

(1) Cf. *Gell.* VII. 10. *Varro.* de L. L. VI. 56.

(2) *Gaj.* IV. 27. Cf. *Festus.* in v. v. *Liv.* I. 43. V. 7. 12. *Laurent. Lyd.* l. l. 45. p. 78. Vid. etiam Zimmern. III. p. 140.

(3) *Gaj.* IV. 28. Cf. *Festus.* v. daps.

(4) *Versuche*, cet. p. 132. *Uebersicht*, cet. p. 747.

(5) In n. ad *Gaj.* IV. 28.

(6) III. p. 141. n. 11: » *Weil eine solche überhaupt die » Quelle von Bevorrechtungen und Verpflichtungen der » Steuerpachter ist.* l. 203. D. de Verb. Sign. *Varro.* de » R. R. II. 1. *Cic.* ad Quint. fratr. I. 12. Arg. *Fragm.* de » jure fisci. §. 18."

vectigalium publicorum populi Romani adversus eos, qui aliqua lege vectigalia deberent. Eaque species perstitisse videtur. Vid. *Cic.* in Verrem. III. 11.

Tandem admonendi sumus, alius generis etiam occurrere antiquam pignoris capionis speciem, qua scilicet patres in Senatum venire cogerentur, cujus rei meminit *Liv.* III. 38. et *Gellius.* N. A. XIV. 7 in f.

§. 6. *De pignoris capionis natura. An sit legis actio.*

De ipsa agendi ratione per pignoris capionem non nisi paucissima nota sunt.

Si attendimus ad naturam hujus actionis, dicendum videtur, compulsionem quamdam fuisse privatam. Qui enim hoc modo agebat, rem aliquam suis manibus auferebat, quam retineret donec sibi satisfieret. Nec in jure fiebat illa pignoris captio, nec apud judicem. Et revera inter ipsos veteres dubitatum fuisse, an hic agendi modus recte legis actio dici posset, ipse *Gajus* auctor est, cujus verba hic inseramus: »Ex omnibus autem," ait,

» istis causis certis verbis pignus capiebatur, et ob » id plerisque placebat, hanc quoque actionem le- » gis actionem esse. Quibusdam autem non place- » bat: primum, quod pignoris captio extra jus » peragebatur, id est, non aput Praetorem, ple- » rumque etiam absente adversario, cum alioquin » ceteris actionibus non aliter uti possit, quam aput » Praetorem, praesente adversario: praeterea nefasto » quoque die, id est, quo non licebat lege agere, » pignus capi poterat" (1).

Dupontius (2) sic statuit: Res per pignoris capionem non ita erant apprehensae, ut statim venderentur, sed, siculi ipsum legis actionis nomen indicat ut pignori haberentur, donec Praetor statueret, an juste necne hoc modo actum fuisset. Reus debitum solvendo et certam pecuniae summam poenae nomine, pignus luere potuisse videtur. *Gaj.* IV. §. 32. Nec fere ab eo dissentit van Hasselt (3), qui tamen addit: » Sed verius est, si- » lentio veterum effici, ut hic titubemus." Certe

(1) *Gaj.* IV. 29.
(2) Op. I. p. 23 sq.
(3) Op. I. p. 98.

assentiendum est Cl. Zimmern dicenti: »*Wie die* »manus injectio *ein liquides Schuldrecht durch* »*Zugriff auf die Person, so verwirklicht die* »pignoris capio *ein solches durch Pfändung einer* »*Sache, welche sodann der Zahlungspflichtige* »(*wie der* addictus *sich selbst*) *auslösen muszte*" (1).

Ceterum, quamvis haec actio multum a ceteris legis actionibus differret, uti ex citatis *Gaji* verbis satis manifestum est, idem tamen ille JCtus pignoris capionem legis actionibus annumerare non recusavit: certis sollennibusque verbis hoc quoque modo agentes uti debebant (2).

APPENDIX.

Exposuimus superioribus Sectionibus singulatim, pro instituti nostri ratione, quinam fuerint antiquissimis temporibus Romanorum in causis privatis agendi modi. Superest, ut, *Gajo* duce, de legis actionum fatis posterioribus ultima Sectione videa-

(1) Op. l. III. p. 140.
(2) Cf. van Hasselt. p. 4. et 97.

mus. Priusquam vero ad hanc nostrae commentationis partem accedamus, paucis hoc loco dispiciamus de nonnullis, ad lege agendi modos pertinentibus.

Et primum quidem notemus, quamdiu solae legis actiones in usu essent, alterius nomine agere non licuisse, nisi pro populo et libertatis causa (1). Postea demum, cum alius litigandi modus, per formulas, invaluisset, universe per alios agere licuit. Antea enim cognitores et procuratores nondum usitabantur. »Nemo," ait *Ulpianus*. l. 123. pr. D. de Reg. Jur., »alieno nomine lege agere potest" (2). Patitur tamen regula nonnullas exceptiones. Nam, *Gajo* auctore, alterius nomine lege agi poterat *pro populo*, et *libertatis causa*. Quid sibi velit illud *pro populo agere* non constat. Nullum enim certum habemus exemplum casus, quo quis pro populo, ceu persona morali, eodem modo lege ageret, quo id inter privatos fieri soleret. Et posteriori demum tempore invenimus civitates habere Syndi-

(1) *Gaj.* IV. 82.

(2) Vid. de hac l. inprimis Dirksen. *Beiträge zur Kunde des Röm. Rechts.* p. 225 sq. — L. 25. §. 1. D. de adopt.

cum, per quem in jure agerent (1). Sunt vero, qui putent, actionis pro populo exemplum esse in suspecti postulatione tutoris, quam ex lege XII Tabularum descendisse et quasi publicam esse novimus ex Tit. I. de Susp. tut. et l. 1. D. eod. Alii rursus contendunt, eum *pro populo* agere, qui publicam accusationem aut popularem actionem instituat (2). In *causa libertatis* alieno nomine agebatur, cum quis per assertorem in libertatem vindicabatur, qua de re supra vidimus. Item in legis actione per manus injectionem, quoties vindex pro judicato causam ageret. Postremo Imp. *Justinianus* (pr. I. de his, per quos agere poss.) de legis actionum tempore, ut videtur, loquens, aliam addit causam, ex qua alieno nomine agere licuisset, scilicet *pro tutela.* At rursus de rei interpretatione hic certatur inter eruditos. *Pro tutela* illud aperte falsum esse, et pessime hunc locum interpretatum esse *Theophilum* Cl. Hefftero stat sententia (3). Alii

(1) Vid. van Hasselt. Op. I. p. 107. Cf. Schrader. ad pr. I. de his, per quos agere poss. in sua Corporis Juris civ. Editione. T. I. Berol. 1832.

(2) Vid. Klenze: in *Zeitschrift für g. R. W.* VI. p. 40 sqq. Zimmern. III. p. 465. Rudorff. *Von der Vormundschaft.* T. III. pag. 182.

(3) In n. ad *Gaj.* IV 82. p. XXXVII.

autem Interpretes de suspecti postulatione, quasi esset populi causa, hic cogitandum esse volunt. Aliis rursus probabile visum est, verbis *pro tutela* nihil aliud indicari, quam casum quo tutor agat pro pupillo (1). Zimmern putat verba ista de praetorio tutore esse accipienda, cujus mentio fit apud *Gajum* (I. 184) et *Ulpianum* (Fragm. XI. 24). Quidquid sit, certe quod *Theophilo* placet, de lite inter duos agitata, utri eorum tutela incumbat, id est, de potioris nominatione, hunc locum intelligendum esse, veri speciem non habet; in ea enim causa utraque pars potius sibi, quam pupillo, litem gerit.

Notissima ex antiquitate Romana res est dies alios fuisse *festos*, alios *profestos*, rursus quosdam *fastos*, quosdam *nefastos* esse dictos (2). *Festi* dicebantur dies, qui Diis, *profesti*, qui hominibus dicati erant: *fasti* dies vocabantur, quibus Praetor dicere potest tria verba: DO, DICO, ADDICO, (quae Magistratus in decretis interponendis dijudicandis-

---

(1) Vid. Cl. Holtius. Hist. jur. Rom. Lineam. §. 198.

(2) Vid. *Macrobius*. Saturn. I. 16. p. 282. Ed. Bip.

que causis munus significant), *nefasti* contra, quibus non potest (1). Hinc canit *Ovidius* (2):

» *Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur;*
» *Fastus erit, per quem lege licebit agi.*"

Lege igitur agere homines non poterant nisi diebus fastis: excipienda sola est legis actio per pignoris capionem, qua nefasto quoque die uti potuisse agentes supra vidimus.

Porro admonendi sumus, lege agere non nisi cives Romanos potuisse, eosque fortasse peregrinos, quibus commercium datum erat: cum enim peregrini universe juris civilis non essent participes, neque unquam rem ex jure Quiritium suam dicere poterant, neque omnino legis actionibus uti (3).

Plura hic addi possent, sed cum minus proprie ad argumentum nostrum pertinere viderentur, hic subsistere malumus.

---

(1) Vid. *Gaj.* IV. 29. *Varro.* de L. L. V. 4. *Cic.* pro Mur. c. 11. *Liv.* IX. 46.

(2) *Fast.* I. 47 sq.

(3) *Boethius* in Top. Cic. III: » Nam jure civili fieri » aliquid non inter alios nisi inter cives Romanos potest, » quorum est etiam jus civile, quod duodecim Tabulis » continetur."

SECTIO V.

DE LEGIS ACTIONUM FATIS POSTERIORIBUS ATQUE INTERITU.

(*Gaj.* IV. §. 30—31.)

---

§. 1. *Quî factum sit, ut legis actiones cessaverint. — De lege Aebutia et duabus legibus Juliis.*

Superest, uti modo significavimus, ut de posterioribus legis actionum fatis atque interitu in fine hujus nostrae commentationis verba faciamus. Et continuo *Gajum* audiamus dicentem (1): »Set istae »omnes legis actiones paulatim in odium venerunt: »namque ex nimia subtilitate veterum, qui tunc »jura condiderunt, eo res perducta est, ut vel qui »minimum errasset, rem perderet. Itaque per le»gem Aebutiam et duas Julias sublatae sunt istae »legis actiones, effectumque est, ut per concepta

---

(1) IV. 30.

» verba, id est, per formulas litigaremus." Indicavimus supra, quanta fuerit apud Romanos legis actionum superstitio: nunc autem docemur, ipsam hanc nimiam veterum subtilitatem fuisse causam, cur legis actiones magis magisque in odium venerint. Accedebat haud dubie, quod quasi in mysteriis haberentur, et commodior magisque libera agendi ratio desiderari coepisset. Itaque crescente magis populi Romani humanitate, ritus isti solennes tanquam futiles atque inanes sensim sensimque in contemtionem venerunt. Attamen legibus opus esse visum est, ad legis actiones tollendas, nec in totum continuo sublatae sunt; uti jam porro explicandum est. Sunt hae leges *Aebutia* et *duae Juliae*.

Paucissima tantum eaque satis obscura de lege Aebutia ad nos pervenerunt. Videamus tamen, quid maxime probabile de re dubia statuendum sit. Praeter *Gajum*, legis Aebutiae mentionem fecit *Gellius* (1), qui verba citat juris civilis interpretis, qui, » proletarios et assiduos, et sanates, et vades, » et subvades, et viginti quinque asses, et taliones,

---

(1) N. A. XVI. 10.

» furtorumque quaestiones cum lance et licio eva- » nuisse, omnemque illam duodecim tabularum an- » tiquitatem, nisi in legis actionibus centumviralium » causarum, lege Aebutia lata, consopitam esse" dicit. Patet ex hisce verbis satis magnam certe lege illa Aebutia effectam esse mutationem; et indicare videtur JCtus ille post latam legem Aebutiam, totam paene XII Tabularum antiquitatem solis judiciis centumviralibus inclusam fuisse, reliquas causas praeter centumvirales alio et commodiore jure tractari coepisse. Porro animadvertendum est, legis actionum exstinctionem praeter leges Julias, soli Aebutiae legi a *Gajo* esse adscriptam. Quid vero in singulis legis actionibus mutaverit ista lex, satis difficile est dictu. Zimmern (1) *Schon die* lex » Aebutia," inquit, » *hat die* legis actiones, *auszer* » *in sofern dadurch eine Sache für das Centum-* » *viralgericht instruirt werden sollte, wenn nicht* » *ganz, doch groszentheils aufgehoben.*" Rem paulo accuratius examinemus. Legis actionem sacramento non solum post legem Aebutiam, ve-

(1) Op. l. T. III. p. 92. Cf. T. I. §. 31. Heffter. Op. l. p. 18.

rum etiam post duas leges Julias, imo *Gaji* adhuc aetate remansisse, infra videbimus. Nec pignoris capionem sustulisse lex Aebutia dici potest, quia *Ciceronis* aetate adhuc in usu erat, quae publicanis adversus vectigalium debitores concederetur, ut supra diximus. An fortasse ad manus injectionem, qualis posteriori tempore exsisteret, tollendam lex ista pertinuit? Negando ad quaestionem respondent Heffter et Zimmern (1). Manus injectionis tollendae nullae aliae leges nisi Juliae aeque bonam occasionem habebant, nec est, quod moveat, ut lege Aebutia ea de re aliquid statutum fuisse dicamus. Probabile enim est, manus injectionem, cum vim contineret, legibus Juliis esse abrogatam, propter *Ulpiani* verba in l. 1. §. 2. D. de vi: »Ne quid autem per vim admittatur, etiam »legibus Juliis prospicitur publicorum et privato»rum." Restant igitur legis actiones per judicis postulationem et per condictionem. Et dicamus has saltem lege Aebutia esse exstinctas. De aetate hujus legis non constat. Sunt, qui putent, initio

---

(1) Vid. Heffter. Op. I p. 19. Zimmern. T. III. p. 93.

saeculi VI. legem Aebutiam esse adscribendam. Magis tamen est, ut Cl. Heffter o [1] adstipulemur, legem Aebutiam serioris aevi fuisse putanti, ita ut *Ciceronis* tempora non longe praecesserit. Itaque saeculi VII. initio demum legem istam latam esse arbitratur, quod egregie confirmari dicit legis Serviliae fragmentis. Id tantum satis patet, legem Aebutiam *Ciceronis* temporibus antiquiorem fuisse. Tullii enim aetate et judicia centumviralia exercebantur, et per formulas jam litigabatur. Annus vero, quo lex lata sit, nullus certus adsignari potest [2].

Praeter legem Aebutiam in legis actionibus tollendis partes egerunt item *duae leges Juliae*, de quibus in fine hujus §. quaedam monenda sunt.

Quaenam sint illae duae leges Juliae valde quaeritur. Duas leges judiciarias tulit *Augustus*, alteram judiciorum publicorum, alteram privatorum [3]. An vero lex publicorum cum legis actionibus quid-

(1) Op. I. p. 23.

(2) Cf. Zimmern. III. p. 92. n. 1.

(3) Vid. *Suet.* Aug. 32. Vat. Fragm. p. 49. l. 9 §. 2. D. de recept. l. 2. §. 1. D. de judiciis. l. 1. §. 4. D. de lege Jul. amb.

quam commune habere possit, in dubium vocarunt Interpretes. Itaque praeter legem Juliam privatorum *Gajum* de alia quadam Julia judiciaria cogitasse sibi persuaserunt. Sic Bethmann-Hollweg (1): »*Dasz unter den* duae Juliae," inquit, »*hier die zwey* leges Juliae judiciariae *von August* »*zu verstehen sind, ist allerdings sehr wahr*»*scheinlich. Bedenklich ist nur, wie die* lex Ju»lia judiciorum publicorum *über die* legis actiones »*etwas verfügen konnte. Dan könnte die eine* »*vielleicht eine* Lex Julia judiciaria *von Julius* »*Cäsar, die andere* lex privatorum *von August* »*seyn.*" Quod et Cl. Hugoni (2) vero simile visum est. Sane *C. Julium Caesarem* leges judiciarias tulisse testes sunt *Cicero* (3) et *Suetonius* (4). Objicit autem Cl. Heffter (5), vix credibile esse, *Gajum* duas leges Julias conjunctim nominaturum fuisse, si utraque diversum auctorem habuisset, al-

---

(1) *Ueber die Competenz des Centumvir. Ger.* In *Zeitschrift für g. R. W.* T. V. p. 385. n. 54.

(2) *Lehrbuch*, cet. Ed. 11. p. 717 in f.

(3) *Phil.* I. c. 8.

(4) Jul. 41. Cf. *Dio Cass.* lib. 38. p. 154.

(5) Op. l. p. 24.

tera *C. Julium Caesarem*, altera *D. Augustum*. Alii rursus Interpretes putarunt, praeter legem Juliam privatorum, alteram legem quamdam Juliam a *Gajo* esse intellectam, scilicet *legem Juliam de bonis cedendis* (1). Vero enim simile esse dixerunt, ea lege, qua debitoribus obaeratis beneficium cedendorum bonorum, id est, bonorum cessione se a metu, ne ducerentur, liberandi facultas concessa est, manus injectiones, judicati maxime ex lege XII Tabularum, et ex causa depensi, quam ductio, nisi vindex exsisteret, sequi solebat, esse sublatas. Sed de hujus quoque legis latore quaesitum est ab Eruditis, aliis eam *C. Julium Caesarem* (2), aliis *Augustum* (3) auctorem habuisse contendentibus. Commendat vero se sententia, quam tulit Cl. Heffter (4) proximum veritati esse videri putans, de duabus *Augusti* legibus judiciariis, altera publicorum, altera privatorum, *Gajum*

---

(1) Vid. *Gaj.* III. 78. Rubr. Cod. Theod. *qui bonis ex lege Julia cedere possunt.* l. 4. C. qui bonis ced. poss.

(2) Vid. Heineccius. Ant. Rom. Synt. III. 30. §. 7 sq.

(3) Vid. Bachius. Hist. jurispr. Rom. Cl. Holtius. Hist. juris Rom. lineam. §. 724.

(4) Op. I. p. 25. Cl. Holtius. l. l. §. 598.

cogitasse. Lege enim publicorum poterant esse sublatae eae legis actiones, quae ex antiquioribus legibus in causis publicis adhuc supererant, veluti sacramenti actio ex lege Calpurnia et Junia (1), et si quae iis similes essent.

Itaque duabus hisce legibus Juliis legis actiones, quae post legem Aebutiam adhuc exstabant, fere omnes sublatae sunt, ita ut postea nonnisi ex duabus causis lege agere licuerit: qua de re jam, age, videamus.

§. 2. *Quibus ex causis post leges Julias lege agere permissum esset.*

Non prorsus exstinctas fuisse legis actiones post duas leges Julias a *Gajo* (2) docemur, qui adhuc postea ex duabus causis lege agere permissum fuisse dicit, scilicet damni infecti, et si centumvirale judicium fuerit provocatum. Primum igitur novimus recentiori quoque aetate lege agi potuisse

(1) Vid. Lex Servilia repetundarum. Ed. Klenze. 1825. Cf. supra Sect. II. §. 2.

(2) IV. 31.

propter damnum infectum. Sed quonam actionum genere? Apud *Gajum* altum est silentium. Cl. Heffter (1) arbitratur, eum, qui propter damnum infectum lege acturus erat, a manus injectione vel pignoris capione incipere debuisse: post deinde apud arbitrum arbitrosve rem peractam esse. Sed certi de re nil constat. Nec magis notum est, quando ista legis actio damni infecti abrogata sit; fortasse non antequam omnia judicia extraordinaria facta sunt. Id tantum non ignoramus, *Gaji* tempore hanc actionem non amplius fuisse in usu. Ait enim noster (2): »damni vero infecti nemo vult »lege agere, set potius stipulatione, quae in edicto »proposita est, obligat adversarium per magistra- »tum (3), quod et commodius jus et plenius est" (4).

Sed in causis centumviralibus legis actio remansit, nempe sacramento. »Cum ad Centumviros »itur, ante lege agitur sacramento aput Praetorem

---

(1) Op. l. p. 46 48.

(2) IV. 31. in f.

(3) Ita lacunam supplet Cf. Heffter, quem vide in n. ad h. l. p. XVI. *Per magistratum* est: auctoritate vel imperio magistratus.

(4) Cf. Tit. D. de damno infecto.

» urbanum vel peregrinum" (1). Rem paucis exponere tentemus. Non tamen de judiciis et causis centumviralibus hic disputandi locus erit (2). Sed videamus, quomodo legis actio sacramento, *Gaji* adhuc aetate, perageretur. Et sic quidem res sese habuisse videtur. Adversario antea in jus vocato, Praetor pro tribunali adeundus erat; nec tantum apud Praetorem urbanum, sed et peregrinum legis actio fieri poterat (3). Postquam autem in jus ventum et judicium centumvirale provocatum erat, lege agebatur servato vetusto ritu, sacramenti actionis, de quo supra vidimus, ita ut primum vindiciae contenderentur; quod patet ex *Gellii* verbis (N. A. XX. 10): » Ex JURE MANUM CONSERTUM verba sunt ex antiquis actionibus, quae, cum lege » agitur et vindiciae contenduntur, dici nunc quo» que apud Praetorem solent" (4). Loco vero sa-

---

(1) *Gaj.* l. l.

(2) Scripserunt de iis praecipue Siccama. De jud. Centumv.; ejusque editor et corrector Zepernick. Halae 1786. Bethmann-Hollweg. *Ueber die Competenz des Centumviral-Gerichts.* In' *Zeitschrift*, etc. V. 3. Vid. etiam Zimmern. III. §. 14-16. et § 36. Heffter. Op. l. p. 31. sqq.

(3) Cf. Heffter. p. 39.

(4) Cf. Zimmern. III. p. 93.

cramenti, quod olim in publicum cedebat, et vel L vel D assium erat, inter partes sponsiones vicissim fiebant, eaeque semper CXXV sestertiorum. Insignis hac de re *Gaji* locus est: (IV. 95): »Ceterum »si aput Centumviros agitur, summam sponsionis »non per formulam petimus, sed per legis actio»nem: sacramento enim reum provocamus, eaque »sponsio sestertiorum CXXV nummorum fit...." Jam a *Cicerone* (1) edocti sumus, duplicem esse viam de hereditate aliqua certaturis, ut aut lege, id est, sacramento agerent in hereditatem, aut pro praede litis vindiciarum satis accepto, sponsionem facerent. Verba *Ciceronis* sunt: »Si quis testamento se he»redem esse arbitraretur, quod tum non exstaret, »lege ageret in hereditatem: aut, pro praede litis »vindiciarum, cum satis accepisset, sponsionem fa»ceret; ita de hereditate certaret. Hoc opinor jure »et majores nostri, et nos semper usi sumus" (2).

(1) In Verrem. I. 45.

(2) *Pseudo-Asconius:* »Lis Vindiciarum est, quum liti»gatur de ea re apud Praetorem, cujus (*cum?*) incertum »est, quis debeat esse possessor et ideo, qui eam tenet, »satisdat pro praede litis vindiciarum adversario suo, quo »illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum,

Rem plenius exposuit *Gajus* Comm. IV. §. 91-95. Duplicem in rem actionem esse dicit, namque aut per formulam petitoriam agi, aut per sponsionem, in qua stipulatio pro praede litis et vindiciarum locum habeat. »Inde autem," ait, »appellata est »pro praede litis et vindiciarum stipulatio, quia in »locum praedium successit, qui olim, cum lege age- »batur, pro lite et vindiciis, id est, pro re et »fructibus a possessore petitori dabantur." Per sponsionem autem vel ita agi poterat, ut deinde per formulam more consueto ageretur, apud unum scilicet judicem, vel ita, ut res ad Centumviros deferretur, praevia legis actione, id est, eo ritu, qui ex antiqua sacramenti actione in centumviralibus judiciis servatus erat. Accessit et hic stipulatio pro praede litis et vindiciarum, quemadmodum vetere jure praedes pro lite et vindiciis dandi erant (1).

Sed hactenus. Notemus tantum, legis actionem sacramento, uti vidimus, omnium diutissime in usu

---

» de qua jurgium esset. Rursus sponsione ipse provocatur » ab adversario certae pecuniae aut aestimationis, quam » amittat: NI SUA SIT HEREDITAS, de qua contendit." etc.

(1) Vid. Heffter. Op. l. p. 86 sqq. 91. Cf. Zimmern. III. §. 64 sq. p. 193 sqq.

remansisse; et nostra faciamus verba Cl. Zimmern(1): »*So war es also die* sacramenti actio, »*welche sich am längsten erhalten hat, wie lan-* »*ge nach Gajus wissen wir nicht, länger frey-* »*lich nicht als das Centumviralgericht selbst.*"

§. 3. *Qua ratione factum sit, ut ex legis actionibus formulae fierent.*

Legis actiones propter nimiam juris conditorum subtilitatem in odium venisse, aliumque dein litigandi modum per concepta verba sive per formulas introductum esse, supra jam indicavimus. Non tamen repente ac subito haec rerum mutatio accidisse putanda est, sed potius naturali ratione et sponte sua ex antiquioribus lege agendi generibus, recentior iste litigandi modus, per formulas, ortus esse videtur. Primum enim videmus non exiguam esse inter legis actiones et formulas similitudinem. Sunt formulae solennes verborum conceptiones; idem in legis actionibus esse vidimus. Porro cum primum per formulas agere coepissent Romani, legis actiones in iis fingebantur, cujusmodi fictiones

(1) III. p. 93.

a *Gajo* plures afferuntur (1). Ita, v. c. fingebatur pignus esse captum, cum Praetor, non usurpata pignoris capione, publicano permitteret eandem pecuniae summam exigere, in quam condemnatus fuisset debitor, si per ipsam legis actionem, id est, per pignoris capionem actum fuisset (2). Cum vero jurisprudentia universe eo tendere coepisset, ut antiqui juris ambages tollerentur, et commodior magisque libera agendi ratio locum haberet, fictiones istas etiam inanes habere coeperunt homines, et ita sola formula invaluit.

Atque hoc quidem modo, ut facile intelligi potest, sensim sensimque formulae legis actionibus successerunt. Quamvis autem formulae a legis actionibus non prorsus essent diversae, in multis tamen differebant. Formulae enim verbis tantum constabant, non actu et verbis: in legis actionibus symbolici quidam actus usurpabantur, qui in formulis non sunt. Porro, quod praecipuum est, formulae sunt species, non genera agendi, nec legis verbis reguntur, ideoque facilius observantur.

---

(1) IV. 32-38.

(2) Vid. Dupont. l. l. p. 35 sqq.

» Inde maxime," ait Dupontius (1), » quod cui-
» que casui speciatim erant adaptatae, a legis actio-
» nibus secundum generalia legum verba conceptis,
» formulae differebant." Deinde formulae istae palam propositae erant in foro, cum legis actiones magis in mysteriis haberentur. Nec hic omnino praetermittendum est, formulas admittere exceptiones, quae tempore legis actionum incognitae erant (2), licet tamen credibile sit, interea temporis sponsiones exceptionum loco fuisse.

Sed nostrum non est, de formularum natura pluribus hoc loco persequi; quocirca hic subsistendum esse arbitramur (3).

Haec habui, de legis actionibus quae scriberem. Non autem is ego sum, qui mea commentatione rei satis obscurae clarum per omnia lumen affusum esse credam: sane plurima obscura et incerta remanserunt. Id autem monendum esse puto, conjecturis novis et inauditis me consulto abstinuisse.

(1) Op. l. p. 45.
(2) *Gaj.* IV. 108.
(3) Vid. Cl. Holtius. Hist. jur. Rom. §. 449 sqq. Cf. Zimmern. III. p. 88.

Denique lectorem, si quem forte habeat iste libellus, a juvene indocto profectam esse hanc disputatiunculam ut probe teneat, etiam atque etiam rogo. Utinam igitur mite sit de ea judicium!

Antequam huic scriptioni finem imponam non possum, quin gravi officio fungar gratum iis animum testificandi, quorum opera vita Academica nunc exacta mihi exstitit cum utilissima tum vero dulcissima. Vobis igitur, Viri Clarissimi! gratias ago, quas possum maximas, pro egregia institutione, qua me uti potuisse vehementer gaudeo. In Academiae Trajectinae et patriae gloriam diutissime incolumes Vos servet Deus Optimus Maximus!

Vitam autem Academicam dulcissimam dicenti Vos mihi compellandi estis, Amici integerrimi! in quorum suavissima corona, nunquam non verae amicitiae dulcedinem expertus sum. Amici amicis valedicendi tristi necessitati servientis grati animi accipiatis testificationem. Ultra hujus spatii Academici terminum utinam vigeat nostra amicitia! Caritatis vestrae me certe nulla unquam capere poterit oblivio.

TANTUM.

QUAESTIONES.

I.

Lex XII Tabularum: TERTIIS NUNDINIS PARTIS SECANTO, de ipso debitoris corpore secando intelligenda est.

II.

Divortium Carvilianum primum apud Romanos fuisse non videtur.

III.

Verba, quae ex XII Tabulis citantur: ADVERSUS HOSTEM AETERNA AUCTORITAS significant *peregrinum usucapere non posse.*

IV.

Nullas res mancipi esse putamus praeter eas, quas *Ulpianus* enumerat: *Fragm.* Tit. XIX. §. 1.

V.

Res, quae non sunt in commercio, ne ab ignorante quidem earum conditionem possideri possunt.

8

VI.

In L. 18. C. *de transactionibus* (II. 4) verba: *excepto adulterio* a Triboniano interpolata esse videntur.

VII.

Merito legislator Belgicus art. 4. nov. Cod. civ. mortem civilem abrogavit.

VIII.

Fideicommissum de residuo jure Francico est prohibitum.

IX.

Articulo 231. C. civ. Franc. anteponendum esse art. 264. n° 4. C. civ. Belg. contendimus.

X.

Praesumtiones, quales occurrunt art. 720—722. C. civ. Franc. merito in novo Cod. civ. Belg. omissae sunt.

XI.

Art. 1101, junct. art. 1102 et 1103. C. civ. Belg. melius compositus est quam art. 789. C. civ. Franc.

XII.

Assentimur Ampl. Assero (*Het Nederl. Burg. Wetb. vergel. met het Wetb. Nap.*) contendenti articulo 1132. Cod. civ. Franc. anteponendum esse art. 1372. Cod. civ. Belg.

XIII.

Probandus est legislator Belgicus, cum hypothecas legales in novo Cod. civ. sustulerit.

XIV.

Haud probanda est sententia eorum juris Criminalis scriptorum, qui factorum puniendorum ambitum ad solas *juris laesiones* restrinxerunt.

XV.

Minus recte dicit Chauveau: (Code Pénal progressif. Paris 1832. p. 218) » *Le complot tel que le » définit le Code Pénal, est un crime d'une nature » toute particulière, un crime d'exception; en tout » autre matière la justice humaine ne prescrit que » les actes: ici la seule volonté est incriminée et » peut être atteinte d'une peine.*"

XVI.

Pro infanticidio secundum art. 300. Cod. Poen. habetur caedes infantis non tantum a parente, sed et ab extraneo commissa.

XVII.

Non facimus cum iis, qui jus gentium positivum dari negarunt.

XVIII.

Prorsus iniqua quorundam fuit in Republica Belgii Foederati ratio, qua A° 1673, provincias superiori anno ab hostibus oppressas, a foedere Trajectino arcere voluerint.

XIX.

Verissime Heerenus: »*Durch den Fall von* de »Witt *musste* Ludwig XIV *selbst — in* Wil»helm III. *den Mann auf seinen Posten brin»gen, der ihm seitdem, wie der erste* Oranier »Philipp *dem* II, *gegenüber stand. Aber wenn »dieser nur für die Freiheit seines Vaterlandes »kämpfte, so kämpfte* Wilhelm III. — *gleich »unermüdet, und mit gleich wechselndem Erfol»ge, in dem Cabinet, wie auf dem Schlachtfel»de, — für die Freiheit Europas. Und er hat »sie behauptet.*" (Handbuch der Gesch. d. Europ. Staatensystems. 5 Ausg. 1830. I Th. S. 221.)

AAN MIJNEN ZOON

M. BICHON VAN YSSELMONDE,

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT

DOCTOR IN DE REGTEN.

Hoe welkom is ook mij deez' dag van rein genoegen,
Waarop ge Uw vlijt, mijn Zoon! zoo eervol loonen ziet.
Deelnemend' in Uw vreugd, voel ik de borst mij zwoegen,
En moet een enkel woord bij al de wenschen voegen,
Die U welwillendheid en warme vriendschap biedt.

Ja! kunst'loos moog' het zijn, maar uit het hart gerezen,
En met het warmst gevoel der Godheid afgesmeekt.
Ja! d'ouderlijke bêe zal wel d'opregtste wezen!
Zij heeft noch overwigt, noch vergelijk te vreezen,
Als z'over dierbaar kroost en heil en zegen spreekt.

Mijn zegen ruste op U! Blijf deugd en Godsdienst achten!
Zoek waren roem alleen in trouw en eerlijkheid!
Wijd Vorst en Vaderland Uw kunde, zorg en krachten!
Blijf ned'rig, welgemoed in alles pligt betrachten!
Uw leven zij tot eer! Uw sterven zaligheid!

M. C. BICHON VAN YSSELMONDE.

ROTTERDAM,
Maart 1840.